The Library Committee shall divide the books and other articles belonging to the Library into three classes, namely: (a) those which are not to be removed from the building; (b) those which may be taken from the halls only by written permission of three members of the committee, who shall take a receipt for the same and be responsible for their safe return; (c) those which may circulate under the following rules:—

Members shall be entitled to take from the Library one folio, or two quarto volumes, or four volumes of any lesser fold, with the plates belonging to the same, upon having them recorded by the Librarian, or Assistant Librarian, and promising to make good any damage they sustain, while in their possession, and to replace the same if lost, or pay the sum fixed by the Library Committee.

No person shall lend any book belonging to the Institute, excepting to a member, under a penalty of one dollar for every such offence.

The Library Committee may allow members to take more than the allotted number of books upon a written application, and may also permit other persons than members to use the Library, under such conditions as they may impose.

No person shall detain any book longer than four weeks from the time of its being taken from the Library, if notified that the same is wanted by another member, under a penalty of five cents per day, and no volume shall be detained longer than three months at one time under the same penalty.

The Librarian shall have power by order of the Library Committee to call in any volume after it has been retained by a member for ten days.

On or before the first Wednesday in May, all books shall be returned to the Library, and a penalty of five cents per day shall be imposed for each volume detained.

Labels designating the class to which each book belongs shall be placed upon its cover.

No book shall be allowed to circulate until one month after its reception.

P. Jesuits.

DELECTUS

SENTENTIARUM ET HISTORIARUM,

AD

USUM TIRONUM ACCOMMODATUS.

[Valpy R.]

Pueris quæ maximè ingenium alant, atque animum augeant, prælegenda. QUINT.

BOSTONIAE: WELLS ET LILLY.

MDCCCXIX.

ADVERTISEMENT.

IT has been a common remark, that there is no classical author sufficiently easy to initiate youth in Latin Construction. Phædrus, Æsop, Corderius, or Sententiæ Pueriles, are in the generality of schools given as introductory books. The two former are much too difficult; the elliptical forms of speech, which constitute the nature of a dialogue, render Corderius liable to the same objection; and the sentences are placed in the last in alphabetical order, without regard to their difficulty. It will be easily understood that no reference is here intended to Schools, where English translations or interpretations are used. Those specious methods may save the learner and the teacher some labor and trouble, but seldom can lead the former to substantial knowledge, or procure to the latter the pleasure arising from the solid improvement of his pupils.

Diligent Parsing is an exercise of the first necessity. Without this foundation, the knowledge of a language cannot be durable. It has been a

principal endeavour in the following sheets to lead the young beginner gradually and distinctly from one rule to another, and to make him perfect in parsing those which constantly occur, before he enters the wide field of grammatical analysis. Once thoroughly versed in the preliminary grounds, he will find the most considerable difficulty removed. But it has been thought impolitic to proceed further in a regular exemplification of the rules of syntax; for by that method the judgment of the student would not be exercised, or his powers of reasoning exerted and increased, as they are in distinguishing and investigating the rules of construction. For the improvement of his mind, it has been thought necessary to make these sentences keep a due proportion to his gradual advances in grammatical learning.

Two books were formerly published with the same design: Selectæ e Veteri Testamento, and, e profanis Scriptoribus, Historiæ. To the former it is sufficient to object, that it is unclassical. The compiler has so blended, in the latter, the pure language of a *Cicero* with inelegant translations from the Greek, and with his own connecting words, that the scholar knows not where to apply for classical authorities. The arrangement of the pas-

sages under proper heads has rendered them tedious to youth; and the facility of finding materials for their compositions on every subject has often repressed the exertion of their genius. The selection from the purest Latin writers, and the variety, observed in the following pages, will, it is hoped, produce the effect which was intended, and prevent any abuse. To oblige the scholar to have recourse to the authors themselves for his quotations, the references have been omitted.

It was intended in this compilation to give the judicious teacher an opportunity of instilling wholesome principles into the minds of youth. A firm belief in Providence, the worship of the Deity, and resignation to the will of Heaven, have been studiously inculcated. Examples of patience, fortitude, honour, patriotism, liberality, and the fair assemblage of moral virtues, cannot but make a deep impression in tender hearts, yet glowing with the admiration of what is lovely and excellent, and untrained to the arts of a selfish world.

In travelling the road of Latin literature, the maturer scholar will be often pleased in recognising, in the following passages, the companions of his youth: and what is thus recovered, when the absence of a few years had made its impression in-

distinct, will never after be erased from the memory.

It has been a principal object to initiate the learner at once into a style in English construction, which will not disgust him in his riper years: *adeo a teneris assuescere multum est.*

DELECTUS, &c.

The Nominative and the Verb.

Ego amo.
Tu mones.
Rex regit.
Nos audimus.
Vos videtis.
Pueri ludunt.
Audio.
Amas.
Pater monet.
Scribimus.
Dicitis.
Reges regunt.
Mater amat.
Musa canit.
Lego.
Spes est.
Honores placent.
Rusticus arat.
Auditis.
Puer legit.
Vocas.
Gradus stat.
Liber docet.
Deus videt.
Speramus.
Res placet.
Manus dat.
Fata vocant.
Labor vincit.
Canis currit.
Cadunt umbræ.
Pugna nocet.
Terret mors.
Pisces nant.
Crescit amor.
Manus tangunt.
Sol lucet.
Tempus fugit.
Venit hyems.
Aves volant.

Mors venit.
Fugit umbra.
Latrant canes.
Aqua fluit.
Studia delectant.
Fugiunt nubes.
Crescit arbor.
Ego eram.
Sylva stabat.
Aquila volabat.
Musa canebat.
Nox erat.
Fulgebat luna.
Dormiebas.
Milites pugnabant.
Arma sonabant.
Ego videbo.
Via lædet.
Deus dabit.
Tu bibes.
Uret ignis.
Crescent arbores.
Tempus erit.
Clamabis.
Tempora venient.
Cantabit viator.
Bella erunt.
Canemus.
Pendebit uva.
Rura manebunt.
Venient juvenes.
Vidi ego.
Troja fuit.
Fortuna dedit.
Prata biberunt.
Nocuit culpa.
Cecinit avis.
Non ego juravi.
Satis lusisti.
Veni, vidi, vici.
Bellum fuerat.
Fugerat umbra.
Venerat hostis.
Pueri legerant.
Dixeras.
Cicero scripserat.
Hannibal juraverat.
Dentes momorderant.
Ego risero.
Venerit hora
Canes cucurrerint.
Fugerit ætas.
Pomum ceciderit.
Nos ambulaverimus.
Milites pugnaverint.
Surge.
Legito.
Studete.
Disce, aut discede.
Dicite.

Equus currito.
Canes latranto.
Pueri scribunto.
Laboret manus.
Sit lux.
Faveat fortuna.
Sol fulgeat.
Veniat tempus.
Philomela cantaret.
Troja staret.
Pomum penderet.
Luna micaret.
Oculus viderit.
Latraverint canes.
Domus steterit.
Arbores creverint.
Miles pugnavisset.
Lepores cucurrissent.
Canes momordissent.

Vox auditur.
Laudor.
Vincitur hostis.
Tempora mutantur.
Vinum bibitur.
Doceris.
Carmina leguntur.
Flos carpitur.
Fabula narratur.
Ducuntur pueri.
Aqua fundebatur.
Pandebantur portæ.
Saxa volvebantur.
Oppidum defendebatur.
Verba legebantur.
Bella parabantur.
Pectemur.
Domus ædificabitur.
Narrabuntur fabulæ.
Epistola mittetur.
Culpabimini.
Litera scribetur.
Naves mersæ sunt.
Datæ sunt leges.
Sparsa erant folia.
Hostes victi erant.
Missi erimus.
Vinum bibitum erit.
Laudator industria.
Puniuntor fures.
Præmia dentur.
Panis ematur.
Pecunia solvatur.
Premeretur caseus.
Veherer.
Tegeretur caput.
Victus sit miles.
Hostes capti essent.

The Substantive and the Adjective.

Garrula lingua nocet.
Fugit invida ætas.
Fugaces labuntur anni.
Solvitur acris hyems.
Litera scripta manet.
Fugit irreparabile tempus.
Ver erat æternum.
Venit glacialis hyems.
Sylva vetus stabat.
Nostra corpora vertuntur.
Culpa tua est.
Dira parantur bella.
Nulla mora est.
Dum nox atra sinit, tu fugis.
Brevis est voluptas.
Bellum est dubium.
Parvæ res crescunt,
Brevis cœna juvat.
Mora non tuta est.
Frigida nox est.
Iter ex Galliâ tutum non fuit.
Brevis est via.
Nix alta jacet.
Omnis spes in Deo est.
Semper avarus eget.
Boni sunt rari.
Stabat nuda æstas.
Nemus omne virebit.

Jam venit æstas torrida.
Post equitem sedet atra cura.
In amore omnia sunt vitia.
Venit, post pluvias, una serena dies.
Amicus certus in re incertâ cernitur.

The Accusative after the Verb.

Deus regit mundum.
Te amo.
Nauta secat mare.
Spes alit agricolas.
Autumnus fruges effundit.
Urit ignis domos.
Armat spina rosas.
Permutat navita merces.
Dat medicina salutem.
Furor arma ministrat.
Tuas literas expecto.
Me, ut amas, ama.
Medicinam vulnera poscunt.
Dolores levat questus.
Consumit inertia corpus.
Gramen carpit equus.
Spargit sylva frondes.
Alit æmulatio ingenia.
Nidum ponit avis.
Te sequor.

Deus dat vitam.
Vitavi culpam.
Deucalion jactavit lapides.
Dona feram.
Amabo te.
Diem perdidi.
Nostra nos patria delectat.
Virtutem doctrina parat.
Ludus genuit certamen.
Aurora diem reducit.
Si me amas, ad me venito.
Sol signa dabit.
Ventus agit nubes.
Flores amat apis.
Legi tuas literas.
Ficus ornat arborem.
Elementa disce prima.
Pecte comas.
Parvum parva decent.
Semiramis Babyloniam condidit.
Dido condidit Carthaginem.
Romulus Romam condidit.
Scipio Carthaginem delevit.
Cervus fugit lupum.
Ossa tegit tumulus.
Littus habet conchas.
Tenet anchora navem.
Perde nihil.

Terra parit flores.
Munera dat dives.
Lusus habet finem.
Poma dat Autumnus.
Ver præbet flores.
Pax Cererem nutrit.
Tolle moras.
Alexander Darium fugavit.
Brutus Cæsarem occidit.
Odi profanum vulgus.
Audentes fortuna juvat.
Acres venabor apros.
Carmina nulla canam.
Multos castra juvant.
Quærit avarus opes.
Non lethum timeo.
Labor omnia vincit.
Aurum omnes colunt.
Acrem militiam paras.
Omnia mors poscit.
Avidum doma spiritum.
Torva leæna lupum sequitur.
Terra malos homines educat.
Sparge rosas, prome vinum.
Munera multa dedi.
Vince iram tuam.
Spes bona dat vires.
Luna tremulum præbebat lumen.
Stat multos sylva per annos.
Te ferus urit amor.

Epistolam tuam accepi.
Movit suas alas Dædalus.
Icarus deseruit patrem suum.
Ninus fundavit Assyrium imperium.
Cyrus imperium Persicum fundavit.
Græcum imperium fundavit Alexander.
Imperium Romanum Romulus fundavit.
Tollite barbarum morem.
Regit mundum sol aureus.
Quinque tenent cœlum zonæ.
Quercus ingentes tendit ramos..
Romulus creavit centum Senatores.
Numa nullum bellum gessit.
Non terret sapientem mors.
Non me offendit veritas.
Tuum negotium agam, sicut debeo.
Virides occultant spineta lacertos.
Me benignitas tua ditavit.
Horrida tempestas cœlum contraxit.
Rarò scelestum deseruit pœna.
Tumidus rigat arva fluvius.
Mercator reficit naves quassas.
Necessitas non habet leges.
Crescentem sequitur cura pecuniam.
Aurum avidas mentes polluit.
Nauta videt mare turgidum.
Mollis pax arva colit.
Feriunt summos fulmina montes.
Atra nubes condidit lunam.
Omnia tempus edax depascitur.

Rediens fugat astra Phœbus.
Sol crescentes decedens duplicat umbras.
Mors et fugacem persequitur virum.
Teneras defendo a frigore myrtos.
Scandit æratas vitiosa naves cura.
Tres Horatii vicerunt tres Curiatios.
En! quò discordia cives perduxit miseros.
Fretum recipit de totâ flumina terrâ.
Mora dat vires; teneras mora percoquit uvas.
Flumina pauca vides de magnis fontibus orta.
Pueri inter se pro levibus noxiis iras gerunt.

The Verb Sum.

Ira furor brevis est.
Virtus est optima nobilitas.
Forma bonum fragile est.
Dux ego vester eram.
Inertia est vitium.
Natura est dux optima.
Homo sum.
Virtus est sua merces.
Non ego sum pastor.
Ebrietas est insania.
Sapiens est Rex.
Tuus amicus et fui et ero.
Arbor virga fuit.
Exercitatio optimus est magister.
Fames est optimus coquus.
Magnum vectigal est parsimonia.

Res est forma fugax.
Conscientia grave pondus est.
Prima navis fuit alnus cavata.
Meus est hic ager, ille tuus.
Magna parens terra est.
Credula res amor est.
Amicus verus thesaurus est magnus.
Verecundia bonum in adolescente signum est.

The Genitive.

Crescit amor nummi.
Facta ducum vivent.
Mater artium est necessitas.
Honos est præmium virtutis.
Juno Jovis conjux erat.
Ego mortis non ero causa tuæ.
Tempora veris erunt.
Helena causa fuit belli Trojani.
Opes sunt irritamenta malorum.
Sol est lux mundi.
Cornua lunæ decrescunt.
Infelix Phaethon de solis curru decidit.
Invidiæ pallor in ore sedet.
Neptunus est numen aquarum.
Immensa est potentia cœli.
Ego lacrymas matris videbo.
Scipio fudit Annibalis copias.
Semiramis erat Nini uxor.
Jussa Dei fient.

Romulus Romanæ conditor urbis erat.
Victima mortis eris.
Non incola montis, non ego sum pastor.
Penelope conjux Ulyssis erat.
Pan Deus Arcadiæ est. 5
Magister artis venter est.
Villarum culmina fumant.
Canis leporis vestigia sequitur.
Miles timet sagittam hostis.
Est calcanda semel via lethi. 10
Fortia taurorum corpora frangit opus.
Ventorum pater regit navem.
Quis non causas mille doloris habet ?
Numen divinum est fons bonitatis.
Ira est initium insaniæ. 15
Vita hominis sine literis mors est.
Omnium rerum vicissitudo est.
Omnium malorum stultitia est mater.
Magna spes est in bonitate Dei.
Maximam cepi lætitiam ex carissimi patris epistolâ.

Infinitive.

Te cupio videre. 21
Volui dormire.
Aude contemnere opes.
Carmina possumus donare.
Sepulcrum incipit apparere. 25
Poteram contingere ramos.
Incipe cognoscere matrem.

Finire memento tristitiam.
Nihil amplius scribere possum.
Ego cupio ad te venire.
Intelligere non possum.
Cessator esse noli.
Mori me denique coges.
Amitti virtus non potest.
Poteram tua vela videre.
Nos speramus amari.
Hora consistere non potest.
Me scribere jussit amor.
Philippus volebat amari.
Alexander metui volebat.
Ego plus quàm feci facere non possum.
Tecum vivere amo.
Naturam mutare pecunia nescit.
Exibis, deinde redire voles.
Hic mecum poteris requiescere.
Bene ferre disce magnam fortunam.
Angustam pauperiem pati puer discat.
Dici beatus ante obitum nemo debet.
Æquam memento rebus in arduis servare mentem.

Conjunctions.

Deus solus potest esse architectus et rector cœli et terræ.

Justitia virtus est omnium virtutum domina et regina.

Sol ruit, et montes umbrantur.
Vir bonus et prudens dici delector ego.
Immensa est, finemque potentia cœli non habet.
Accipere præstat, quàm facere, injuriam.
Rapere atque abire semper assuevit lupus.
Major est animi voluptas quàm corporis.
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Sapientem neque paupertas, neque mors, neque vincula terrent.
Tam ego sum homo quàm tu.
Juno erat Jovis et soror et conjux.
Nox erat, et fulgebat luna.
In prælio cita mors venit, aut victoria læta.
Marius et Sylla civile bellum gesserunt.
Lethi vis rapuit, rapietque, gentes.
Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Dative.

Ago tibi gratias.
Dic mihi verum.
Juranti tibi non credam.
Grata mihi tua epistola fuit.
Redditur terræ corpus.
Non solùm nobis nati sumus.
Redeunt jam gramina campis.
Dat tibi terra viam.
Da mihi pignus amoris.
Arma fecit Vulcanus Achilli.
Oves nobis suam lanam præbent.

Auxilium tu mihi ferre potes.
Datus est tibi plausus.
Ceres debit alimenta mitia terris.
Tristitiam et metus tradam ventis.
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.
Non placidam membris dat cura quietem.
Nil sine magno vita labore dabit mortalibus.

Ablative.

Spe vivimus.
Cito pede præterit ætas.
Pastor carmine mulcet oves.
Tempore compescitur ira leonum.
Vincuntur molli pectora dura prece.
Ventis agitatur ingens pinus.
Omnes patriæ dulci tanguntur amore.
Deteriores omnes sumus licentiâ.
Veniet tacito curva senecta pede.
Neptunus tridente suo terram percussit.
Orpheus carmine sylvas et saxa duxit.
Ferreus assiduo consumitur annulus usu.
Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.
Immedicabile vulnus ense recidendum est.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Relative.

Literas expecto, quas scripsisti.
Est Deus in mundo, qui omnia videt.
Fortis est, qui se vincit.

Virtute qui præditi sunt, soli sunt divites.
Is amicus est, qui juvat in rebus adversis.
Tutus ille non est, quem omnes oderunt.
Ingratus est homo, qui non beneficium reddit.
Qui non novit tacere, nescit loqui.
Solem e mundo tollunt, qui amicitiam e vitâ tollunt.
Quæ nimis apparent, retia vitat avis.
Pompeius, qui a Cæsare victus est, fugit ad Ægyptum.
Civis est is, qui patriam suam diligit.
Quis est, qui non admiretur splendorem virtutis?
Justitia virtus est, quâ viri boni appellantur.
Accepi tuas literas, in quibus tuum erga me amorem cognovi.

Miscellaneous Sentences.

Una est insula grata mihi.
Quid fœdius est avaritiâ?
Post messem copia major erit.
Mors est certa, tempus incertum.
Deum agnoscimus ex operibus ejus.
Codrus pro patriâ mortuus est.
Dei providentiâ mundus administratur.
Jam seges est, ubi Troja fuit.
Omnes antiquæ gentes Regibus paruerunt.
Si valet ille, venit.
Nullus locus nobis dulcior esse debet patriâ.
Bene vivere bis vivere est.
Per mare, per terras, per flumina curris.
Sub dulci melle venena latent.

Fortuna opes auferre, non animum potest.
Fama est mendax, veloxque.
Dulce et decorum est pro patriâ mori.
Non, quæ præteriit, hora redire potest.
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.
Morti nihil est tam simile, quàm somnus.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.
Quærit aquas in aquis Tantalus.
Peccati dolor et maximus et æternus est.
Rosæ fulgent inter lilia mixtæ.
Mors ultima linea rerum est.
Stultus non novit silentium servare.
Dignum laude virum Musa vetat mori.
Bona existimatio divitiis præstat.
Quot homines, tot sententiæ.
Da locum melioribus.
Dictum sapienti sat est.
Jucunda est memoria præteritorum malorum.
Omnes boni beati sunt.
Beatus esse sine virtute nemo potest.
Penelope absentem mœrebat Ulyssem.
Homines mortales sunt.
Nihil semper floret : ætas succedit ætati.
Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.
Jacent sub arbore poma.
Memoria nihil est, nisi exerceas eam.
Virgilius patulæ cecinit sub tegmine fagi.
Miltiades Persas vicit in pugnâ Marathoniâ.
Regulus in Africâ victus est.
Pœnas Gallia victa dabit.

Sola spes hominem in miseriis consolari debet.
Vive pius, moriere pius.
Nemo sine vitiis nascitur.
Tempus edax rerum est.
Facilè in morbos incidunt adolescentes.
Pauci veniunt ad senectutem.
Vitia celari non possunt.
Dulce est paternum solum.
Adolescentis est majores natu revereri.
Fortuna simillima vento est.
Qui nescit se peccare, corrigi non vult.
Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.
Nemo mortalium omnibus horis sapit.
Pudore amisso, omnis virtus ruit.
Vitanda est improba Siren, desidia.
O rus! quando ego te aspiciam?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
Animum rege, qui, nisi paret, imperat.
Plures necat lingua, quàm gladius.
Dum felis dormit, saliunt mures.
Disce parvo esse contentus.
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Est profectò Deus, qui quæ gerimus audit et videt.
Verecundia bonum in adolescente signum est.
Quatuor sunt elementa, ignis, aer, terra, aqua.
Mentem hominis spectato, non frontem.
Cœlum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.
Heu, quàm difficile est crimen non prodere vultu!

Lætus sum laudari a laudato viro.
Vitæ summà brevis spem nos vetat inchoare longam.
Fructu, non foliis, arborem æstima.
Nemo vir magnus sine afflatu divinò unquam fuit.
Videre nostra mala non possumus.
Nemo repentè fuit turpissimus.
Qui cupiet, metuet quoque.
In secundis time, in adversis spera.
Homo doctus in se semper divitias habet.
Sol locatur in mediâ mundi sede.
Intra fortunam debet quisque manere suam.
Ut ameris, amabilis esto.
Terra circùm solem volvitur.
Decipimur specie recti.
Quid sit futurum cras, fuge quærere.
Exitio est avidis mare nautis.
Condiunt Ægyptii mortuos et eos domi servant.
Maximè admiramur eum, qui pecuniâ non movetur.
Mors omnium malorum sensum adimit.
Cupiditates animi sunt morbi.
Est aliqua sapientiæ pars stultitiam silentio tegere.
Res omnium rerum est nocentissima calumnia.
Otium omnia mala docet adolescentes.
Horrida callidi vincunt æquora navitæ.
Non omnis moriar.
Non scire fas est omnia.
Fortuna non mutat genus.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite questum.
Mella cava manant ex ilice.
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Vivo carus amicis.
Omnia divitiis parent.
Ut umbra corpus sequitur, sic virtutem gloria.
Reverentiæ comes est amor.
Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior algâ est.
Suam quisque conditionem miserrimam putat.
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Hora quota est?
In voluptatis regno virtus non potest consistere.
Linguam compescere virtus non minima est.
Certa amittimus, dum incerta petimus.
Omnia pecuniâ effici non possunt.
Nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris.
Amici novi veteribus non sunt anteponendi.
Fas est ab hoste doceri.
Trahimur omnes laudis studio.
Rex eris, si rectè facies.
Datum est Neptuno maritimum regnum.
Imperat aut servit collecta pecunia cuique.
Cœna brevis juvat, et prope rivum somnus in herbâ.
Fronti nulla fides.
Nemo malus felix.
Tua res agitur, paries cùm proximus ardet.
Ridentur, mala qui componunt carmina.
Sunt facta verbis difficiliora.
Noli imitari malos.
Mortalia cuncta peribunt.
Non satis est pulchra esse poemata; dulcia sunto.
Tua me infortunia lædent.
Aut prodesse volunt, aut delectare, poetæ.

Cur ego amicum offendam in nugis?
Promissa tua memoriâ teneas.
Suavis laborum est præteritorum memoria.
India mittit ebur.
Scientiâ nulla res est præstantior.
Literæ facilè discuntur.
Diligentia in omnibus rebus plurimùm valet.
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Nihil est verâ gloriâ dulcius.
Medio tutissimus ibis.
Verum decus in virtute positum est.
Pietas grata est Deo.
Omnis virtus in actione consistit.
Vacare culpâ maximum est solatium.
Qui non vetat peccare cùm possit, jubet.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Conscientia mille testes.
Feras, non culpes, quod vitari non potest.
Ægroto dum anima est, spes est.
Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
Nolito nimiùm tibi placere.
Mors cuncta mortalium mala dissolvit.
Quis amicior, quam frater fratri?
Civile bellum perniciosissimum est.
Homo ortus est ad Deum colendum.
An piscatorem piscis amare potest?
Nihil in hoc mundo fieri sine Deo potest.

SENTENCES, STORIES, &c.

IN VERSE AND PROSE.

DONEC eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Cæsar scribere et legere simul, dictare et audire, solebat.

Navita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi a feris sint antè laniata.

Nutritur vento, vento restinguitur ignis:
Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Improbus est, qui scit beneficium accipere, nescit reddere.

Carmina sola carent fato, mortemque repellunt.
  Carminibus vives semper, Homere, tuis.

Homines proniores sunt ad voluptatem, quàm ad virtutem.

Utendum est ætate; cito pede præterit ætas:
  Quàm cuperes votis hunc revocare diem!

Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

Dum licet, et veros etiam nunc editis annos,
  Discite; eunt anni more fluentis aquæ.

Divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara æternaque habetur.

Labitur occultè fallitque volatilis ætas,
Et nihil est annis velocius.

Avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes subvertit.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam;
  Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Cæsar beneficiis, ac munificentiâ, magnus habebatur; integritate vitæ, Cato.

Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
  Imminet, et tacito clam venit illa pede.

Cyneas, interrogatus a Pyrrho, qualis Roma esset ; respondit, Regum urbem sibi visam.

Fessus ut incubuit baculo, saxoque resedit
  Pastor, arundineo carmine mulcet oves.

Non modò reticere parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre, oportet.

Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci,
  Tempore lenta pati fræna docentur equi.

Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, sic homo ad intelligendum et agendum, natus est.

Quid magis est durum saxo, quid mollius undâ ?
  Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.

In scientiâ excellere pulchrum putamus ; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus.

Quis crederet unquam
  Aerias homines carpere posse vias ?

Studiis et literis res secundæ ornantur, adversæ adjuvantur.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis ;
  Immodicus contrà carpit utrumque labor.

Ut ager, quamvis fertilis, sine culturâ fructuosus esse non potest ; sic sine doctrinâ animus.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsæ graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.

Literæ discuntur facilè, si habeas, qui docere fideliter possit.

Bellus homo, et magnus, vis idem, Cotta, videri;
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Nihil est, quod longinquitas temporis efficere non possit.

Illi robur, et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus.

Sapientis animus nunquam est in vitio, nunquam turgescit: nunquam sapiens irascitur.

Cuncta priùs tentanda; sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Condita est Carthago septuaginta duobus annis ante quàm Roma.

Vidi ego, naufragium qui riserat, æquore mergi:
Et, nunquam, dixi, justior unda fuit.

Vir temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine libidine, is est sapiens.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Non est injussu imperatoris, id est, Dei, de statione vitæ decedendum.

Sæpe ego, ne biberem, volui dormire videri:
Dum videor, somno lumina victa dedi.

Apud Herodotum, patrem historiæ, sunt innumerabiles fabulæ.

Ultima semper
Expectanda dies homini est: dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera, debet.

Nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas, hominibus a naturâ data est.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare.

Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

Pauperiem, modico contentus, semper amavi;
Et rerum dominus, nil cupiendo, fui.

Ne eos tibi fideles fore putes, quos pecuniâ corruperis.

Non ebur, neque aureum
    Meâ renidet in domo lacunar.

Non potest esse jucunda vita, a quâ absit prudentia.

Ergò cùm silices, cùm dens patientis aratri
    Depereant ævo, carmina morte carent.

Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic sapientes fortunæ impetum, superare non possunt.

Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
    Fastidit, umbrosamque ripam.

Philosophia, mater omnium bonarum artium nos primùm ad Dei cultum, deinde ad jus hominum, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudit.

Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
    Quàque venit, multas accipit, amnis, aquas.

Ut hirundines æstivo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt; ita falsi amici sereno vitæ tempore præstò sunt, simul atque hyemem fortunæ viderint, avolant omnes.

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Xantippe, Socratis Philosophi uxor, morosa admodum fuisse fertur et jurgiosa.

Venator sequitur fugientia, capta relinquit;
Gloria pugnantes vincere major erit.

In mundo Deus est, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservat, terras ac maria contemplans, hominum commoda vitasque tuetur.

Genus, et proavos, et, quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Nihil est dulcius his literis, quibus cœlum, terras, maria cognoscimus.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis.

Ipse animi discessus a corpore fit sine dolore, et fit plerumque sine sensu, nonnunquam etiam cum voluptate.

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur; in lucem semper Acerra bibit.

Solon gloriari solebat, se senem fieri, aliquid quotidie addiscentem.

Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit, ager.

Romanum imperium a Romulo exordium habet, qui Vestalis virginis filius et Martis, cum Remo fratre, uno partu editus est.

Parvula magni formica laboris
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta, futuri.

Cùm ex Leontino Gorgiâ quæreretur, cur tam diu vellet esse in vitâ : Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem.

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare ;
Hoc tantùm possum dicere : non amo te.

Maximæ Respublicæ, per adolescentulos labefactatæ, a senibus sustentatæ et restitutæ sunt.

Non sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista ferè duris utilis herba rubis.

Archytas, quùm villìco factus esset iratior : quo te, inquit, modo accepissem, nisi iratus essem !

Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossâ timidum deponere terrâ ?

Bene præcipiunt, qui vetant quidquid agere, quod dubites æquum sit an iniquum.

Carmina Paullus emit : récitat sua carmina Paullus :
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, et invenietur brevissima.

Principiis obsta ; serò medicina paratur,
Cùm mala per longas convaluere moras.

Non debemus quidquam agere, cujus non possimus causam reddere.

Est modus in rebus ; sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quis est, quamvis sit adolescens, qui sciat se ad vesperum esse victurum ?

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori ?

In summo imperatore quatuor hæ virtutes inesse debent : scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas.

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ.

Utrùm vivere, an mori sit melius, Deus scit : hominem quidem arbitror scire neminem.

Vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Nullum munus, Reipublicæ afferre majus meliusve possimus, quàm si doceamus atque erudiamus juventutem.

Thais habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

Tunc erimus beati, cùm, corporibus relictis, cupiditatum erimus expertes.

Este procul, lites, et amaræ prælia linguæ:
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.

Q. Cincinnatus, obsessi Consulis et exercitus liberator, ab aratro vocatus ad Dictaturam venit.

Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in teipso est: tu pulmentaria quære
Sudando.

Nisi Deus isto te corpore liberaverit, ad cœlum tibi aditus patere non potest.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

In nuce inclusa est Ilias, Homeri carmen, in membranâ scriptum.

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille greges?

Virtus eripi nunquam potest: neque naufragio, neque incendio amittitur.

Vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Quis est tam vecors, qui, cùm suspexerit in cœlum, non sentiat, Deum esse?

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

Viginti talentis unam orationem Isocrates vendidit.

Non opibus mentes hominum, curæque levantur;
Nam fortuna suâ tempora lege regit.

Nostra nos patria delectat: cujus tanta est vis, ac tanta natura, ut sapientissimus vir immortalitati anteponat Ithacam, in asperrimis saxis affixam.

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque, pulchris
Divitiis parent.

Thales interrogatus, quid esset Deus? Quod, inquit, caret initio et fine.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

Cari sunt liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est.

Et querimur, citò si nostræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.

Quocunque te flexeris, habebis ibi Deum occurrentem tibi: nihil vacat ab illo, ipse implet opus suum.

Phosphore, redde diem; cur gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.

Nullus est casus non ferendus pro dignitate et libertate patriæ.

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

Studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
Si sapis et sentis, hic tibi ait, morere.

Romæ Consules pro uno Rege duo hâc causâ creati sunt, ut si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coerceret.

                    Inter nitentia culta
Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.

Ille honorat Deum optimè, qui facit mentem suam similem Deo, quantum fieri potest.

Dicite, quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat.

Mithridates, duarum et viginti gentium Rex, totidem linguis jura dixit.

Nubere vis Prisco, non miror, Paulla : sapîsti.
   Ducere te non vult Priscus : et ille sapit.

Callicrates ex ebore formicas, et alia tam parva fecit animalia, ut partes earum a ceteris cerni non possent.

                        Sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit :
Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.

Exiguum nobis vitæ curriculum natura circum-
scripsit, immensum gloriæ.

Illud Amicitiæ sanctum ac venerabile nomen
   Re jam pro vili sub pedibusque jacet.

Itur ad astra frugalitate, temperantiâ, fortitudine, aliisque virtutibus. Mens bona nulla est sine Deo.

O qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbrâ !

Omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est.

Nubere Paulla cupit nobis, ego ducere Paullam
Nolo : anus est ; vellem, si magis esset anus.

Breve tempus ætatis satis est longum ad bene vivendum.

Turpe quidem dictu, sed, si modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

Roma condita est anno ante Christum septingentesimo quinquagesimo tertio. Reges Romani fuere : Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, et Tarquinius Superbus. Primi Consules, Lucius Junius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus.

Nil mihi das vivus : dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

Astrologiâ enituit Berosus, Grammaticâ Appollodorus, Hippocrates Medicinâ, Archimedes Geometricâ ac machinali scientiâ.

Cùm fortuna manet, vultum servatis amici;
  Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.

Moriendum certè est, et id incertum, an eo ipso die.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus;
Et labor, et duræ rapit inclementia mortis.

Cato major Græcas literas senex didicit: quas quidem avidè arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit.
  Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

Ex vitâ discedendum est, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo.

Hoc habeo, quodcunque dedi; sunt cetera sortis;
  Cetera prætereunt more fluentis aquæ.

Gaditanus quidam, Titi Livii nomine famâque commotus, ad visendum eum ab ultimis terrarum finibus venit, statimque ut viderat, abiit.

Luciferi primo cum sidere, frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenerâ pecori gratissimus herbâ est.

Qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest.

Omnia promittis, cùm totâ nocte bibisti;
Mane nihil præstas: Postume, mane bibe.

Plinius major libros legens, adnotabat, excerpebatque. Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere enim solebat, nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ parte posset prodesse.

Perfer, et obdura: dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

Quibusdam perpetua febris est, ut C. Mæcenati, cui triennio supremo nullus contigit somnus.

Multa in sylvis avium se millia condunt,
Vesper ubi, aut hybernus agit de montibus imber.

Ingens numerus librorum in Ægypto a Ptolemæis regibus conquisitus est, ad millia ferme voluminum septingenta. Sed ea omnia, aut saltem quadringenta millia, teste Senecâ, in urbe Alexandriâ conflagrârunt, bello inter Cæsarem et Pompeii liberos.

Dentibus, atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Hortensius in auctione persedit totum diem; et vespere recensuit omnes res, ut pretia, et emptores ordine suo, ita ut in nullo falleretur.

Viam insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

Mors terribilis est iis, quorum cum vitâ omnia extinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest.

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Ne dixeris illa, quæ invenimus, esse nostra. Semina artium omnium insita sunt nobis, et Deus magister acuit et excitat ingenia.

Fulgida non parvas animo dat gloria vires;
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Discipuli, si modò sunt bene instituti, præceptorem amant et verentur.

Excitat auditor studium, laudataque virtus
Crescit, et immensum gloria calcar habet.

Quæ natio non comitatem, non benevolentiam, non gratum animum diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non odit?

Continuò culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Aristidis, Thebani pictoris, unam tabulam centum talentis Rex Attalus licitus est.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Quibus gradibus Romulus ascendit in cœlum? Rebus gestis, atque virtutibus.

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, et formâ muta superbit avis.

Xerxes ante navale prælium, quo victus est a Themistocle, miserat quatuor millia armatorum Delphos, ad diripiendum templum Apollinis, quasi gereret bellum non tantùm cum Græcis, sed etiam cum Diis immortalibus. Quæ manus tota deleta est imbribus et fulminibus; ut intelligeret, quàm nullæ essent hominum vires adversùm Deos.

Forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

Atheniensibus leges instituit Solon, Spartanis Lycurgus.

Heredem tibi me, Catulle, dicis:
Non credam, nisi legero, Catulle.

Cùm duobus modis, vi aut fraude, fiat injuria; fraus quasi vulpeculæ videtur, vis leonis: sed fraus odio digna majore. Injuria autem nulla capitalior est, quàm eorum, qui, cùm maximè fallunt, dant operam ut viri boni habeantur.

Nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, et fulget minùs.

Virtutis tanta est vis, ut non possit unquam vir bonus non esse beatus.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames!

Qui se ipse norit, intelliget se habere aliquid divinum, semperque et faciet et sentiet aliquid dignum munere Dei.

Nunquam libertas gratior extat,
Quàm sub rege pio.

Virtus est altissimis defixa radicibus, quæ nunquam ullâ vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.

Proximus a tectis ignis defenditur ægrè;
Utile finitimis abstinuisse locis.

Veteres Romani, acceptâ injuriâ, malebant ignoscere, quàm persequi. Plus penè auxerunt imperium parcendo victis, quàm vincendo.

Quò fata trahunt retrahuntque, sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Malorum est esca voluptas, quâ homines capiuntur, ut hamo pisces.

Qui negat esse domi se, tunc cùm limina pulsas,
  Quid dicat nescis? dormio, Matte, tibi.

Titus Pomponius Atticus nullas inimicitias gessit, quòd et lædebat ipse neminem, et, si quam injuriam acceperat, malebat oblivisci, quàm ulcisci.

Non facilè esuriens positâ retinebere mensâ,
  Et multam saliens incitat unda sitim.

Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate.

Mene salis placidi vultum, fluctusque quietos
Ignorare jubes? Mene huic confidere monstro?

Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: amicitias immortales, inimicitias mortales, esse debere.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
  Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Omnium animi immortales sunt: sed bonorum, fortiumque, divini.

Curando fieri quædam majora videmus
  Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Usque ad ultimum vitæ finem non desinemus communi bono operam dare, adjuvare singulos, opem ferre etiam inimicis.

Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus.

Nihil interest, animi motu sublato, non dico inter pecudem et hominem, sed inter hominem et saxum, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem.

Vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frænat.

Vespasiani, inter cetera bona, illud singulare fuit, inimicitias oblivisci: adeò ut Vitellii hostis sui filiam locupletissimè dotaverit, et viro splendidissimo in matrimonium dederit. Ferebat quoque patienter contumelias, dictis jocularibus respondens.

Rura quoque oblectent animos, studiumque colendi:
Quælibet huic curæ cedere cura potest.

P. Claudius, bello Punico primo, cùm caveâ liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent: quoniam esse nollent.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant, metuuntque futura.

Cùm sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: illud proprium hominis est, hoc belluarum. Quare ideo tantùm bella suscipienda sunt, ut sine injuriâ in pace vivatur. Partâ autem victoriâ, conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, non immanes, fuerunt. Sic Romani Sabinos, Æquos, Volscos, etiam in civitatem acceperunt: at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt.

Non domus, et fundus, non æris acervus et auri,
Ægroto domino deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Exercendum est corpus, et ita efficiendum, ut obedire consilio rationique possit, in exequendis negotiis, et in labore tolerando.

Ah, noli nimiùm confidere: sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus antè fuit.

Ille peccavit, qui cùm triginta dierum induciæ essent pactæ cum hoste, nocte populabatur ejus agros: quòd, inquiebat, dierum induciæ pactæ essent, non noctium.

O miseras hominum mentes! O pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque perîclis
Degitur hoc ævi!

Nihil est, non dicam in homine, sed in omni cœlo atque terrâ, Ratione divinius, quæ, cùm adolevit atque perfecta est, nominatur rite Sapientia.

Hæc, quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit, oliva, dapes.

Cùm Quintus Labeo pactus esset cum rege Antiocho, quem bello superaverat, ut ab eo dimidiam classis partem acciperet, fertur omnes ejus naves medias secuisse, ut regem totâ classe privaret.

Omnia vertuntur: certè vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis; hæc in amore rota est.

Validior est decem virorum bonorum sententia, quàm totius multitudinis imperitæ.

Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

Servi, qui domino clementi et benigno usi fuerint, pro domino parati erunt porrigere cervicem, et periculum ei imminens in seipsos avertere.

Argentum, atque aurum, facile est, lænamque, togamque
Mittere; boletos mittere difficile est.

Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, præclarum est.

Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quàm admirabilis fidei servus Panopionis fuit ! Qui cùm cognovisset advolare milites ad occidendum dominum suum, qui fuerat proscriptus, commutatâ cum eo veste, illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectum domini recepit, et ut Panopionem occidi passus est.

Quis credat tantas operum, sine numine, moles,
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere mundum ?
Si sors ista dedit nobis, sors ipsa gubernet.

Primum regem Athenienses habuere Cecropem. Huic successit Cranäus, cujus filia Athis, vel Attis, regioni nomen dedit.

Tota quidem ponatur anas ; sed pectore tantùm
Et cervice sapit : cetera redde coquo.

Beneficiorum maxima sunt ea, quæ a parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus. Parentes cogunt teneros infantes ad salubrium rerum patientiam. Flentium et repugnantium corpora diligenti curâ fovent. Mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Juventam frugalitati, pudori, moribus bonis applicant, coactam, si non obsequatur libenter.

Frange toros : pete vina : rosas cape : tingere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Semper ita vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur.

Quid mirum, noscere mundum
Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis,
Exemplumque Dei quisque est in imagine parvâ?

Ea caritas, quæ est inter nos et parentes, dirimi, nisi detestabili scelere, non potest.

Glis.

Tota mihi dormitur hyems, et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Non intelligunt homines, quàm magnum vectigal sit parsimonia.

Dum fata sinunt,
Vivite læti; properat cursu
Vita citato; volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.

Filia, cui nomen Pero, admovit, velut infantem, pectori suo, atque aluit, patrem suum, grandi ætate senem, qui in custodiam traditus fuerat.

O rus, quando ego te aspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ?

Mente rectè uti non possumus, multo cibo et potione completi.

Exeat aulâ,
Qui volet esse pius: virtus et summa potestas
Non coeunt.

Pater nullum clarius potest relinquere monumentum sui, quàm si filium relinquat effigiem morum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Rex Lydorum Crœsus erat, cujus opes et divitiæ insignes erant.

Cinis, et manes, et fabula fies.
Vive memor lethi: fugit hora.

Plurimùm in reliquam vitam proderit, pueros statim salubriter institui. Facile est enim teneros adhuc animos componere; difficilè reciduntur præcepta, quæ primis imprimuntur ætatibus: et naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ pueri percepimus: ut sapor, quo nova vasa imbuuntur, durat.

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent.

Accepto Macedonum imperio, Alexander Magnus Regem se terrarum omnium ac mundi appellari jussit.

Serpens, sitis, ardor arenæ,
Dulcia virtuti : gaudet patientia duris.

Athenienses primi lanificii, et olei, et vini usum docuere ; arare quoque, et serere frumenta glandem vescentibus monstrârunt. Literæ certè ac facundia, et civilis ordo disciplinæ, veluti templum, Athenas habuerunt.

Pavo.

Miraris, quoties gemmantes explicat alas :
Et potes hunc sævo tradere, dure, coquo ?

Sæpe videmus fractos pudore, qui nullâ ratione vincerentur.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Dabimus pueris aliquod laxamentum : desides verò eos esse non sinemus, et procul a contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis voluptarios et iracundos facit, quàm educatio mollis et blanda. Ideo quo plus indulgetur pueris, eo corruptior illis animus est. Offensas patienter ille non feret, cui nihil unquam negatum est, cui lacrymas solicita semper mater abstersit.

Vivit et armiferæ cornix invisa Minervæ ;
Ista quidem seclis vix moritura decem.

Justitia sine prudentiâ plurimùm poterit; sine justitiâ nihil valebit prudentia.

Minùs in parvis fortuna furit,
Leviùsque ferit leviora Deus.

Lusus pueris proderunt: quia pueri post lusus plus virium et acriorem animum afferunt ad discendum. Modus tamen sit remissionibus: ne aut negatæ odium studiorum faciant, aut nimiæ otii consuetudinem afferant.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ,
Cantator cycnus funeris ipse sui.

Nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines.

Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima,
Stultitiâ caruisse.

Augustus summum imperium Romæ adeptus, nepotes suos literas, aliaque rudimenta per se plerumque docuit.

Crudeles Divi! serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.

Alexander cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit: nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit.

Quicquid patimur, mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto.

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque omnium insidias, facilè se per seipsam defendat!

Est hìc, est animus lucis contemtor, et istum
Qui vitâ bene credat emi, quò tendis, honorem.

Mortuos cremare, apud Romanos non fuit veteris instituti: terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum.

Hìc, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbæ,
Et paucæ pecudes, et casa rara fuit.

Optimum erit pueris dari præceptores pædagogosque vitiorum expertes: eorum enim mores pueri plerumque referunt. Apud Platonem educatus puer, cùm, ad parentes reversus, vociferantem videret patrem: Nunquam, inquit, hoc apud Platonem audivi. Leonidas, Alexandri pædagogus, imbuit alumnum quibusdam vitiis, quæ illum ab institutione puerili persecuta sunt usque in regale solium.

Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Corinthi puella, capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit. Talis picturæ fuit origo.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Titus Manlius Torquatus, qui perindulgens in patrem fuerat, idem acerbè severus in filium fuit.

Murices.

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis; et, non est hoc satis, esca sumus.

Cicero Salutem Dicit Basilio.

Tibi gratulor; mihi gaudeo: te amo, tua tueor. A te amari, et quid agas, quidque agatur, certior fieri volo. Vale.

Gentibus est aliis tellus data limite certo;
Romanæ spatium est urbis et orbis idem.

Pausanias Lacedæmonius, vitiis obrutus, et Spartam, et ceteram Græciam, sub potestatem Persarum regis redigere voluit. His rebus, Ephori, cognitis, jusserunt eum comprehendi. At ille in ædem Minervæ confugit. Hinc ne exire posset, statim Ephori valvas ejus ædis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, ut faciliùs sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamque post-

quam de scelere filii comperit, in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse. Hic cùm semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit.

Regem non faciunt opes :
Mens regnum bona possidet.
Rex est, qui metuit nihil :
Rex est, quique cupit nihil.

In referendâ gratiâ, si modò Hesiodo credimus, debemus imitari agros fertiles, qui plus multo afferunt, quàm acceperunt. Etenim si non dubitamus officia conferre in eos, quos speramus nobis profuturos, quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt ?

Inter aves turdus, si quis, me judice, certet ;
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Diagoras Rhodius tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum luctatorem, tertium pancratiastem ; eosque omnes vidit vincere coronarique Olympiæ eodem die. Et cùm ibi eum tres adolescentes amplecterentur, coronis suis in caput patris impositis, populusque gratulabundus jaceret undique in eum flores, in osculis atque in manibus filiorum animam efflavit.

Omnia Romanæ cedunt miracula terræ :
Natura hìc posuit quicquid ubique fuit.

Non solùm gratus debet esse, qui accipit beneficium, verùm etiam is, cui potestas accipiendi fuit.

Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidosque vultus.

Porcia, Marci Catonis Uticensis filia, cùm apud Philippos victum et interemtum maritum cognosceret; quia ferrum, quod poscebat ad mortem sibi inferendam, non dabatur, ardentes carbones ore haurire non dubitavit.

Dente timentur apri; defendunt cornua cervos:
Imbelles damæ, quid, nisi præda, sumus?

Athenis Draco primus leges edidit, sanguine potiùs quàm atramento scriptas.

Est duris meliùs studiis fingenda juventus,
Et pueri discant aspera multa pati.

Pater unicæ filiæ Themistoclem consulebat, utrùm eam pauperi, sed bono viro, collocaret; an locupleti parùm probato. Cui is: Malo, inquit, virum, qui pecuniâ egeat, quàm pecuniam, quæ viro.

Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Divitias contemnere, et pro nihilo ducere, magni animi et excelsi est.

Pendentem summâ capream de rupe videbis;
Casuram speres, decipit illa canes.

Alexander, victo apud Issum Dario, ad matrem conjugemque ejus præmisit quosdam e suis, qui nunciarent ipsum venire ad eas visendas: moxque earum tabernaculum intravit cum Hephæstione. Is omnium amicorum carissimus erat regi, sed corporis habitu præstabat. Ergò reginæ, illum regem esse ratæ, Persarum more veneratæ sunt. Inde, erroris admonita, Sysigambis, Darii mater, advoluta est pedibus Alexandri, ignorationem excusans. Quam ille manu allevans: Non errâsti, inquit, mater, nam et hic Alexander est.

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Cùm Publius Rutilius Rufus amici cujusdam injustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergò mihi opus est amicitiâ tuâ, si, quod rogo, non facis? Imò, respondit Rutilius, quid mihi tuâ, si propter te aliquid injustè facere me oporteat?

Summa petit livor: perflant altissima venti;
Summa petunt dextrâ fulmina missa Jovis.

Pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania, ejus generis sunt, ex quibus sæpissimè verum auditur.

Cædimus, inque vicem præbemus crura flagellis.
Vivitur hoc pacto.

Orestis et Pyladis amicitia immortalem apud posteros famam adepta est. Quid enim celebratum magis, quàm illorum coram Rege Thoante contentio, uter moreretur? Dum alter niteretur ab altero depellere crimen et criminis pœnam, atque in se transferre : dum, ignorante Rege uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret.

Surgite, jam vendit pueris jentacula pistor,
Cristatæque sonant undique lucis aves.

Noli imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Ut teipsum serves, non expergisceris?

T. Volumnius, equestri loco natus, M. Lucullum familiariter coluerat. Eum a M. Antonio interemtum cùm vidisset, et liceret fugâ vitæ consulere, exanimi amico adhæsit, sic in lacrymas et

gemitus profusus, ut nimiâ pietate causam sibi mortis accerseret. Namque propter perseverantem lamentationem ad Antonium pertractus est. Cujus postquam in conspectu stetit: Jube me, inquit, protinus ad Luculli corpus perduci et occidi. Neque enim absumto illo superesse debeo, cùm ei infelicis adversùm te militiæ auctor fuerim. Facilè impetravit ab Antonio: ductusque quò voluerat, Luculli dextram avidè osculatus est, caputque ejus, quod abscissum jacebat, pectori suo applicuit, ac deinde cervicem suam interfectoris gladio præbuit.

Invidiæ domus est imis in vallibus antri;
Sed quoquo ingreditur, florentia proterit arva,
Exuritque herbas, et summa papavera carpit.
Quò non livor adit?

Conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, jucundissima est.

Da spatium, tenuemque moram; mala cuncta ministrat
Impetus.

Cimon Atheniensis fuit tantâ liberalitate, ut, cùm compluribus locis prædia hortosque haberet, nunquam eis custodem imposuerit, fructûs servandi gratiâ. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe cùm aliquem videret minùs bene

vestitum, suum amiculum dedit. Multos locupletavit: complures pauperes mortuos suo sumtu extulit.

Falx facta ex ense.

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus.
Agricolæ nunc sum, militis antè fui.

Nihil bonum est, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe.

Quicquid excessit modum,
Pendet instabili loco.

Octava Calendas Julii, longissima dies totius anni, et nox brevissima, solstitium conficiunt.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollis?

Titus, Amor ac deliciæ generis humani, appellatus est. Admonentibus domesticis, quia plura polliceretur, quàm præstare posset: Non oportere, ait, quemquam a sermone principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cœnam quòd nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritòque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi!

Gratia, fama, valetudo contingat abundè,
Et mundus victus, non deficiente crumenâ!

Vir bonus est, qui prodest, quibus potest, nocet autem nemini.

Candelabrum ligneum.

Esse vides lignum: serves nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Urbem cuidam Alexander donabat. Cùm ille, cui donabatur, tantum munus recusaret, diceretque non convenire fortunæ suæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare.

Sæpe Jovem vidi, cùm jam sua mittere vellet
Fulmina; thure dato, sustinuisse manum.

Animi improbi semper cruciantur pœnæ timore, quâ aut afficiuntur, aut semper sunt in metu, ne aliquando afficiantur.

Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

Ab Antigono Cynicus quidam petiit talentum. Respondit, plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet. Repulsus, petiit denarium. Respondit rex, minus esse, quàm quod regem deceret dare. Sic invenit Antigonus quomodo neutrum daret.

Fistula.

Quid me compactam ceris, et arundine, rides?
Quæ primùm extructa est fistula, talis erat.

Neque pecuniæ, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque voluptates, in bonis rebus numerandæ sunt: quippe homines, his rebus circumfluentes, ea desiderant maximè, quibus abundant.

Dulce mori miseris, sed mors optata recedit:
At cùm tristis erit, præcipitata venit.

Alexandro Orientis victori Corinthii per legatos gratulati sunt, et civitate illum suâ donaverunt. Cùm risisset Alexander hoc munus, unus ex legatis: Nulli, inquit, alii civitatem unquam dedimus, quàm Herculi. Tum verò Alexander lubens accepit honorem: neque tam eos respexit, qui sibi civitatem donarent, quàm illum, cui uni, antequam sibi, dedissent.

Majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu.

Consuetudinis magna vis est; pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur.

Pica loquax, certâ dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis avem.

Ipsæ feræ officia sentiunt: nec ullum tam immansuetum animal est, quod non curâ mitiges, et in amorem tui vertas. Leonum ora a magistris impune tractantur: elephantorum feritas cibo mitescit.

O vita misero longa*: felici brevis;
Felices sequeris, mors, miseros fugis.

Hostium repentinus adventus magis conturbat, quàm expectatus: et maris subita tempestas terret navigantes vehementiùs, quàm antè provisa.

Minuti
Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas,
Ultio.

Leonidas Lacedæmonius, cùm trecentis civibus apud Thermopylas objectus Xerxi in Græciam irrumpenti cum innumerabili militum copiâ, maluit occumbere dimicando, quàm assignatam sibi a patriâ stationem deserere. Ideoque tam alacri animo cohortatus est suos ad id prælium, quo perituri erant, ut diceret: Sic prandete, commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi. Mors erat denunciata trecentis illis Lacedæmoniis: nec victoriam sperabant, nec reditum: ille locus iis sepulcrum futurus erat. Perinde tamen ac victoria esset promissa, ductori intrepidè paruerunt.

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere et servare beatum.

Nos ita liquescimus mollitiâ, ut apis aculeum sine clamore ferre non possimus.

Frangere dum metuis, frangis crystallina; peccant
Securæ nimiùm, solicitæque manus.

Magnis veterum scriptorum laudibus celebrata est Cynegiri militis Atheniensis gloria : qui, cùm in campis Marathoniis, duce Miltiade, magnam Persarum cædem fecisset, hostesque fugientes in naves egisset ; onustam navem dextrâ manu tenuit, nec priùs demisit, quàm manum amitteret. Amputatâ dextrâ, navem sinistrâ comprehendit. Quam et ipsam cùm amisisset, ad postremum morsu navem detinuit.

Quàm magna gerunt
Grege pro toto bella juvenci !
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cervi.

Suum cuique pulchrum est : adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur : te tua, me delectant mea.

Nam scelus intrà se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Cicero S. D. Terentiæ Suæ.

Ad ceteras meas miserias accessit dolor et e Dolabellæ valetudine, et e Tulliæ. Omnino de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam scio. Tu velim tuam et Tulliæ valetudinem cures. Vale.

Non sibi, sed domino, venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Horæ cedunt, et dies, menses et anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Castra, ducum victor, victor et ipse sui.

Quid præcipuum in rebus humanis est? Vitia domuisse. Hâc nulla est major victoria. Multi sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate; paucissimi, qui se.

Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intrà quæ puer est.

O volucrem fortunam! quàm citò omnia ex lætitiâ et voluptate ad luctum et lacrymas recidunt.

Desine defuncti lacrymis urgere sepulcrum;
Panditur ad nullas janua nigra preces.

Capua, Campaniæ urbs, prona semper in luxuriam fuit, non modò ingeniorum vitio, sed etiam copiâ voluptatum, quas longa indulgentia fortunæ, et loci amœnitas subministrabant. Cùm illuc iter flexisset Hannibal, victis ad Cannas Romanis, ibi majorem partem hyemis sub tectis habuit exercitum, duratum priùs adversùs mala, et nondum expertum bona. Itaque, quos nulla vis mali vicerat, perdidere nimia bona, et voluptates immodicæ. Somnus enim, et vinum, et epulæ, et otium ita

enervaverunt corpora animosque, ut vires ad vincendum ademerint, et Marcellus verè dixisse videatur: Capuam Hannibali Cannas fuisse.

Sponte tamen juvenes imitantur cetera; solam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.

Præter culpam et peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile aut pertimescendum.

Supprime jam lacrymas: non est revocabilis illis,
Quem semel umbriferâ navita lintre tulit.

Nihil est honestius magnificentiusque quàm pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit,
Et minùs hanc optat, qui non habet.

Ut multa secunda moderatè tulimus, sic adversam fortunam fortiter ferre debemus.

Soles occidere et redire possunt:
Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuò una dormienda.

Contemplatus Cato major M. Curii villam, quæ non longè aberat a suâ, admirari satis non poterat vel hominis ipsius continentiam, vel temporum disciplinam. Huic Curio ad focum sedenti, in agresti scamno, et ligneo catillo cœnanti, magnum

auri pondus Samnites cùm attulissent, repudiati ab eo sunt. Dixit enim, non aurum habere præclarum sibi videri; sed iis, qui haberent aurum, imperare.

Sol fugit, et removent subeuntia nubila cœlum;
  Et gravis effusis decidit imber aquis.

Est non modò liberale, paululum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum.

    Nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri.

Cicero S. D. Terentiæ Suæ.

Si vales, bene est: ego valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissimè. Nam mihi et scriptum et nunciatum est, te in febrim subitò incidisse. Quòd celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies ut sciam. Cura ut valeas. Vale.

Sensit Alexander, testâ cùm vidit in illâ
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem.

Phocion Atheniensis, etsi sæpe exercitibus præfuit, summosque magistratus cepit, tamen fuit perpetuò pauper, cùm ditissimus esse posset. Hic

cùm a rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse facilè careret pecuniâ, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summâ paupertate tantam paternam tueri gloriam; his ille: si mei similes erunt, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin sunt futuri dissimiles, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.

Jam veniunt anni fragiles, et inertior ætas:
  Inficit et nigras alba senecta comas.

Cùm juvenes relaxare animos, et dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ.

Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Quàm parvo contentus est sapiens! quàm parum paupertatem timet! Ducebat pro nihilo pecuniam Anacharsis Scythes, cujus extat epistola, his verbis: Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictus est, ut Scythis ferræ pellis; calceamentum, pedum callum; cubile, terra; obsonium, fames; lacte, caseo, carne, vescor. Quare munera ista tua, vel civibus tuis, vel Diis immortalibus dona.

Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
  Ignibus admotis ut nova cera solet.

Eum nos, qui ætate anteit, tanquam superiorem colere debemus.

Desinat elatis quisquam confidere rebus;
Omnia mors æquat.

Xenocrates, cùm legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quæ pecunia erat maxima temporibus illis, abduxit legatos ad cœnam in academiam, iisque apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu. Cùm postridie rogarent eum, cui numerari pecuniam juberet: Quid? vos hesternâ, inquit, cœnulâ non intellexistis, me pecuniâ non egere?

Littora natīvos per se dant picta lapillos:
Et volucres nullâ dulciùs arte canunt.

Fit nescio quo pacto, ut magis in aliis cernamus, si quid delinquitur, quàm in nobismet ipsis.

Vivitur exiguo meliùs; natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.

Diogenes Alexandro roganti, ut diceret si quid sibi opus esset, respondit: Nunc quidem paululum a sole absis. Offecerat videlicet apricanti. His auditis, Alexander: Nisi Alexander essem, inquit, libenter essem Diogenes.

Si numeres anno soles et nubila toto,
Invenies nitidum sæpius îsse diem.

Tonsores in Italiam ex Siciliâ venere post Romam conditam anno quadringentesimo quinquagesimo quarto. Antè intonsi fuere Romani.

Facilis descensus Averni,
Noctes atque dies patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Xerxes, refertus omnibus præmiis donisque fortunæ, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri, contentus, præmium ei proposuit, qui invenisset novam voluptatem. Quâ inventâ, ipse non fuit contentus; neque enim unquam finem inveniet libido.

An gravis inceptum peragit fortuna tenorem?
Et manet in cursu semper acerba suo?

Urbem Megaram ceperat Demetrius, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpon philosophus interrogatus, num quid perdidisset? Nihil, inquit; omnia namque mea mecum sunt. Atqui et patrimonium suum perdiderat, et hostis filios rapuerat, et patriam expugnaverat. Ille tamen nihil se damni passum fuisse testatus est. Habebat enim secum vera bona, doctrinam scilicet, et virtutem, in quæ hostis manum injicere non poterat. Omnium scilicet bonorum, quæ extrinsecus adveniunt, incerta possessio est.

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Antè, pudor, quàm te violem, aut tua jura resolvam.

Nec domus, nec Respublica stare potest, si in eâ nec rectè factis præmia extent, nec supplicia peccatis.

Crede mihi, miseris cœlestia numina parcunt,
Nec semper læsos et sine fine premunt.

Timoleon Corinthius magnus omnium judicio vir extitit. Namque huic uni contigit, ut patriam oppressam a tyranno liberaret. Cùm frater ejus Timophanes tyrannidem Corinthi occupâsset, et ipse particeps regni posset esse, tantùm abfuit a societate sceleris, ut antetulerit civium suorum libertatem fratris saluti, et patriæ legibus obtemperare sanctius duxerit, quàm imperare patriæ. Hâc mente, fratrem tyrannum interficiendum curavit.

Odi et amo: quare id faciam, fortasse requiris;
Nescio; sed fieri sentio, et excrucior.

Literas ad se ab amico missas, offensione aliquâ in medium proferre, palamque recitare, nihil est aliud, quàm tollere e vitâ societatem, tollere amicorum colloquia absentium: multa enim loca solent esse in epistolis, quæ, prolata si sint, inepta videantur: et multa seria, neque tamen divulganda.

Quî fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem,
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illâ
Contentus vivat; laudet diversa sequentes?

Timoleon missus a Corinthiis ad ferendam opem Syracusanis, incredibili felicitate Dionysium totâ Siciliâ depulit; civitatibus leges libertatemque reddidit; et maximo bello tantum otium toti insulæ conciliavit, ut conditor urbium earum videretur. Cùm tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset; tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret; maluit se diligi, quàm metui. Itaque, cùm primùm potuit, imperium deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit.

Nil nimiùm studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire utrùm sis albus, an ater, homo.

Habenda est ratio valetudinis: utendum est exercitationibus modicis.

Rara juvant; primis sic major gratia pomis:
Hybernæ pretium sic meruere rosæ.

Diocletianus, sponte depositis imperialibus fascibus, in propriis agris consenuit. Quùm aliquando ab Herculio et Galerio excitaretur ad recipiendum imperium, illud tanquam pestem detestans, hoc respondit: Utinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus consita, profectò nunquam illud tentandum judicaretis.

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula mane :
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Non solùm ex malis minima oportet eligere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid insit boni.

Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernet,
Quæ maneat stabili, cùm fugit illa, pede.

Inventi sunt multi, qui non modò pecuniam, sed etiam vitam, pro patriâ profundere parati essent ; iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, etiam republicâ postulante. Ut Callicratidas, qui cùm Lacedæmoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello, multaque fecisset egregiè, vertit ad extremum omnia, cùm consilio non paruit eorum, qui suadebant ne classe dimicaret cum Atheniensibus ; quibus ille respondit : Lacedæmonios, classe illâ amissâ, aliam parare posse ; se fugere sine suo dedecore non posse.

Vipera Cappadocem malesana momordit ; at ipsa
Gustato periit sanguine Cappadocis.

Elephanti jussa faciunt, leones jugum subeunt, in mari vituli mitescunt ; hirundines verò et mures indociles sunt.

Juvat ire perîclis
Ad decus : et dextrâ memorandum condere nomen ;
Quale dedit nunquam rebus fortuna secundis.

Adversùs Hannibalem, callidum imperatorem, toties victorem, dux a Romanis electus Q. Fabius, novam vincendi artem commentus est, non pugnare, et hostem morâ frangere. Unde Cunctator est dictus.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc, redi.

Non licebat vinum fœminis Romæ bibere. Mecennii uxor, quòd vinum biberat e dolio, interfecta fuit a marito.

Vix mihi credetis, sed credite ; Troja maneret,
Præceptis Priami si foret usa senis.

Non terret sapientem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet, propter brevitatem vitæ nunquam longè potest abesse. Pellantur ergò istæ ineptiæ penè aniles, ante tempus mori, miserum esse. Quod tandem tempus? Naturæne? At ea quidem dedit usuram vitæ, tanquam pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, cùm vult? eâ enim conditione acceperas. Iidem, si puer parvus occidit, æquo animo ferendum putant : si verò in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbiùs exegit natura, quod dederat. Nondum gustaverat, inquiunt, vitæ suavitatem : hic autem jam sperabat magna, quibus frui cœperat. At in ceteris rebus melius putatur, attingere aliquam partem, quàm nullam. Cur in vitâ secus? Quanquam

non malè ait Callimachus, multo sæpius lacrymâsse Priamum, quàm Troilum.——Quæ verò ætas longa est? aut quid homini longum? Nonne senectus assecuta est modò pueros, modò adolescentes? Apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant. Ex his igitur, quæ horâ octavâ mortua est, provectâ ætate mortua est: quæ verò occidente sole, decrepita. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, reperiemur in eâdem brevitate, quâ illæ bestiolæ.

Hæc Rufi tabula est? Nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedrâ. Quid agit? Hoc, quod et in tabulâ.

Noctu ambulabat in publico Themistocles, cùm somnum capere non posset: quærentibus respondebat, se e somno suscitari Miltiadis tropæis.

Multis casta licèt mens, et sine crimine constet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.

Cùm Canius Iulus cum Caio Cæsare Caligulâ diu altercatus fuisset, abeunti Imperator dixit: Ne forte inepte spe tibi blandiaris, ad supplicium te duci jussi. Gratias, inquit, ago, optime princeps. Decem dies usque ad supplicium sine ullâ solicitudine exegit. Vix credi potest, quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quàm in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cùm Centurio agmen periturorum trahens, et illum quoque citari jubet.

Vocatus, numeravit calculos, et sodali suo : Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens Centurioni : Testis, inquit, eris, uno me antecedere.

Oderunt peccare boni virtutis amore ;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Cùm quæsitum esset ex Socrate, nonne Archelaum, qui tum fortunatissimus habebatur, beatum putaret? Haud scio, inquit, nunquam enim cum eo locutus sum. Ain' tu? An tu aliter id scire non potes? Nullo modo. Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit! An ego possum, cùm ignorem, quàm sit vir bonus? Quid? tu vitam beatam in eo sitam putas? Ita prorsus existimo, bonos esse beatos, improbos miseros. Miser ergò Archelaus? Certè, si injustus.

Infelix Dido, nulli bene nupta marito :
Hoc pereunte fugis ; hoc fugiente peris.

Diogenes rogatus, quemadmodùm sepeliri vellet, projici se jussit inhumatum. Tum amici : Volucribusne et feris? Minimè verò, inquit : sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. Quî poteris? illi dixerunt : non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti?

Desine nec Latios, nec Graios volvere libros ;
Si quis multa leget, multa legenda sciat.

Quùm de Simonide quæsivisset tyrannus Hiero, Quid esset Deus, deliberandi causâ sibi unum diem postulavit. Quùm idem ex eo postridie quæreret, biduum petiit. Quùm sæpiùs duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia, inquit, quanto diutiùs considero, tanto mihi res videtur obscurior.

Ludus enim genuit trepidum certamen, et iram:
Ira truces inimicitias, et funebre bellum.

Minabatur Theodoro philosopho tyrannus mortem, et quidem sine sepulturâ. Cui Theodorus: O te ineptum, si putas interesse, supra terram an infra, putrescam!

Nam qui mentiri, aut fallere insuêrit patrem,
Tanto magis audebit ceteros.

Solon, cùm interrogaretur cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necâsset, respondit, Se id neminem facturum putâsse.

Nullâ reparabilis arte
Læsa pudicitia est; deperit illa semel.

Sepulcrum Cyri Alexander jussit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui volebat dare inferias. Auro argentoque repletum esse crediderat; quippe ita Persæ vulgaverant. Sed, præter clypeum ejus putrem, et arcus duos Scythicos

et acinacem, nihil reperit. Ceterùm velavit amiculo suo loculum, in quo jacebat corpus: miratus tanti nominis regem, tantis præditum opibus, haud pretiosiùs sepultum esse, quàm si fuisset e plebe.

Non facilè incipient turres vitare columbæ,
 Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

Ferunt Anaxagoram, nuntiatâ filii morte, lixisse: Sciebam me genuisse mortalem.

Sed propera; nec te venturas differ in horas:
 Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius. Huic igitur succumbet virtus? Quàm turpe, O Dii boni! Pueri Spartiatæ non ingemiscunt verberibus laniati. Adolescentium greges Lacedæmone incredibili contentione certant pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, ita ut exanimarentur, priusquam se victos faterentur. Qui apud Indos sapientes habentur, nudi ætatem agunt, et Caucasi nives, hyemalemque vim perferunt sine dolore; cùmque ad flammam se applicaverint, sine gemitu aduruntur. Mulieres verò in Indiâ, cùm est cujusvis earum vir mortuus, in certamen veniunt, quam plurimùm ille dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea læta unà cum viro in rogum imponitur: victæ mœstæ discedunt.

Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum
Libatum florem sedula spernit apis.

Lacæna, quùm filium in prælium misisset, et interfectum audîsset: Idcirco, inquit, genueram, ut esset, qui pro patriâ mortem non dubitaret occumbere.

Tabida consumit ferrum, lapidesque, vetustas;
Nullaque res majus tempore robur habet.

Xenophon, cùm solemne sacrum faceret, filium cognovit cecidisse in prælio apud Mantineam; nec ideo inceptum Deorum cultum omisit, sed tantummodò coronam deponere contentus fuit. Percontatus deinde quonam modò occubuisset filius, ut audivit fortissimè pugnantem interiisse, coronam capiti reposuit; numina testatus se majorem ex filii virtute voluptatem, quàm ex morte dolorem, sentire.

Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus,
O fortuna, ut nunquam perpetuò es bona!

Dariùs in fugâ, cùm aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundiùs. Nunquam videlicet sitiens biberat.

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aquâ.

Ciceronem, mortem Tulliæ suæ lugentem, his verbis consolatur Servius Sulpicius: Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit.———Ex Asiâ rediens, cùm ab Æginâ Megaram versùs navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextrâ Piræus, sinistrâ Corinthus; quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata ac diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse hominem te esse natum?—Crede mihi: cogitatione eâ non mediocriter sum confirmatus.

Ipsa etiam veniens consumit saxa vetustas:
Et nullum est, quod non tempore cedat, opus.

Cùm in phiditiis Lacedæmoniorum tyrannus cœnavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: minimè mirum; condimenta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille. Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis: his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.

Homine imperito nunquam quidquam injustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

Socrates servo ait : cæderem te, nisi irascerer. Pœnam servi in aliud tempus distulit ; illo tempore se admonuit.

Tempus edax rerum, tuque, invidiosa vetustas,
Omnia destruitis.

Dionysius, cùm quidam ex ejus assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatûs, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum : negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse : Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, et fortunam experiri meam ? Cùm ille se cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibùs picto : abacosque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam pueros delectos jussit consistere, eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ ; incendebantur odores ; mensæ conquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu, fulgentem gladium, e lacunari setâ equinâ, aptum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec ministrantes aspiciebat, nec plenum artis argentum ; nec manum porrigebat in mensam : jam ipsæ defluebant coronæ. Denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet esse.

Vitaret cœlum Phaëthon, si viveret; et, quos
Optârat stultè, tangere nollet equos.

C. Julius Cæsar, qui victoriâ clementissimè usus est, cùm scrinia deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis, qui videbantur in diversis fuisse partibus, legere noluit, sed combussit.

En ego, non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis;
Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis, lacerâ puppe, relinquor aquis.

Æschines, cùm propter ignominiam judicii cessisset Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: quâ perlectâ, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quæ erat contrà a Demosthene pro Ctesiphonte edita. Quam cùm suavissimâ et maximâ voce legisset, admirantibus omnibus: Quanto, inquit, magis admiraremini, si audîssetis ipsum!

Quid mihi divitiæ; quarum si demseris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero?
Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas
Captat, et appositis abstinet ora cibis.

Quid facilius fuit regi Antigono, quàm duos milites ad supplicium duci jubere, qui, proximi

regio tabernaculo, de rege suo multa temere effutiebant? Audierat omnia Antigonus, utpote cùm inter dicentes et audientem velum tantùm interesset: quod ille leviter commovit, et: Longiùs, inquìit, discedite, ne vos rex audiat.

Nescio quâ natale solum dulcedine captos
  Ducit, et immemores non sinit esse sui.
Quid melius Româ? Scythico quid frigore pejus?
  Huc tamen ex illâ barbarus urbe fugit.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
  (Nec feritas illos impedit) antra petunt.

Rex Prusias, cùm Hannibali apud eum exulanti pugnare placeret, negabat se audere, cùm exta prohiberent. An tu, inquit ille, carunculæ vitulinæ mavis, quàm Imperatori veteri, credere?

Dum juvat, et vultu ridet fortuná sereno,
  Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt; neque noscitur ulli,
  Agminibus comitum qui modò cinctus erat.

Si qua in Philippo Macedonum rege virtus fuit, contumeliarum patientia ingens illi instrumentum fuit ad tutelam regni. Demochares ad eum, inter alios Atheniensium legatos, venerat. Auditâ benignè legatione, Philippus: Dicite, inquit, mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum. Excepit Demochares: Te suspendere. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est. Quos Philippus contices-

cere jussit, et protervum hominem salvum et incolumem dimittere. At vos, inquit, ceteri legati, nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui impune dicta audiunt.

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
  Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni;
  Pugna suum finem, cùm jacet hostis, habet.
At lupus, et turpes instant morientibus ursi,
  Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Alexander Magnus ille, cùm in Sigæo ad Achillis tumulum adstitisset: O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! At verè: nam, nisi Ilias illa *extitisset*, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset.

Vive tibi, quantùmque potes prælustria vita;
  Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
  Lataque plus parvis vela timoris habent.
Aspicis, ut summâ cortex levis innatet undâ,
  Cùm grave nexa simul retia mergat onus.
Qui cadit in plano, (vix hoc tamen evenit ipsum)
  Sic cadit, ut tactâ surgere possit humo.

Cùm Philippus Methonem urbem oppugnaret, in prætereuntem sagitta jacta de muris dextrum ejus oculum effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversùs hostes factus est:

adeò ut pacem deprecantibus dederit, et mitis adversùs victos fuerit.

Improba solicitæ tu causa, pecunia, vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes;
Semina curarum de capite orta tuo.

Antimachus Clarius poeta, cùm, convocatis auditoribus, legeret eis magnum volumen suum, et eum legentem omnes præter Platonem reliquissent: Legam, inquit, nihilominus; Plato enim mihi unus instar est omnium.

Æra nitent usu; vestis bona quærit haberi;
Canescunt turpi tecta relicta situ.
Hinc famæ vigilare juvet; quis nôsset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus?
Quis Danaën nôsset, si semper clausa fuisset;
Inque suâ turri perlatuisset anus?

Cùm apud Philippum regem præ vino dormitantem dixisset causam mulier, fuissetque immeritò damnata; exclamavit se ab ejus judicio provocare. Ad quem ergò proclamas? inquit rex iratus. A Philippo, respondit illa, bene poto et dormitante, ad Philippum sobrium et vigilantem. Excussit regi crapulam et somnolentiam tam liberum mulierculæ responsum; et, causâ ejus diligentiùs inspectâ, justiorem sententiam tulit.

Finirent multi letho mala : credula vitam
 Spes alit, et meliùs cras fore semper ait.
Spes etiam validâ solatur compede vinctum ;
 Crura sonant ferro : sed canit inter opus.
 Spes alit agricolas ; spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
 Cùm tenues hamos abdidit antè cibus.

Tullius S. D. Terentiæ suæ.

S. V. B. E. E. Q. V. Nos quotidie tabellarios nostros expectamus : qui si venerint, fortasse erimus certiores quid nobis faciendum sit ; faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
 Quem de visceribus traxerat ipsa suis ;
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, *inquit* :
 Sed, quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Postquam victum regem Perseum consolatus est victor Paulus Æmilius, sermone ad circumstantes Romanos converso, dixit : Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hoc præcipuè dico, juvenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat incertum est. Is demum vir erit, cujus animum fortuna nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Darius adversùs Alexandrum in Ciliciâ pugnaturus, coegerat undique penè innumerabilem militum multitudinem. Cujus aspectu cùm admodùm lætus esset, spem quoque ejus inflabat adulatorum turba, certam de Alexandro victoriam pollicitantium. Conversus tum ad Charidemum Atheniensem, virum belli peritum, percontari cœpit: Satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem? At ille liberè admonuit: Illam ex omnibus Orientis partibus excitam hominum multitudinem, purpurâ, argento, auroque fulgentem, futuram esse imparem Macedonibus, qui, paupertate magistrâ usi, militarem disciplinam didicissent, et non decora arma, sed fortitudinem animi, ad prælium afferrent.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Exspuit una duos tussis, et una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus;
Nil isthic, quod agat, tertia tussis habet.

Scipio Nasica cùm ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse; Nasica sensit illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis pòst diebus cùm ad Nasicam venisset Ennius, et eum a januâ

quæreret, exclamat Nasica, se domi non esse: tum Ennius: Quid, inquit, ego non cognosco vocem tuam? Hìc Nasica: Homo es impudens; ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?

Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu;
  Sic et continuâ messe senescit ager.
Scilicet et veteres fugiunt juga curva juvenci;
  Et domitus fræno sæpe repugnat equus.

Ut omnia æquo animo feras, exemplum accipe Socratem, per omnia aspera jactatum, invictum tamen et paupertate et laboribus. Uxorem habebat moribus feram, linguâ petulantem: et liberos indociles, matri quàm patri similiores. Novissimè objecta est illi et religionum violatio, et juventutis corruptela. Post hæc carcer et venenum. Hæc adeò Socratis animum non moverunt, ut ne vultum quidem moverint.

Conjugis audîsset fatum cùm Porcia Bruti,
  Et subtracta sibi quæreret arma dolor;
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
  Credideram satis hoc vos docuisse pátrem.
Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas:
  I nunc, et ferrum, turba molesta, nega.

Quædam civitates, secutæ naturam, quæ parvo contenta est, parvo victu delectatæ sunt, ut Lacedæmonii. Persas negat Xenophon ad panem quidquam adhibere solitos esse, præter nastur-

tium. Si quædam etiam suaviora natura desiderare videatur, quàm multa ex terrâ arboribusque nascuntur suavitate præstanti!

Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,
  Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
  Quo posita est primùm tempore, virga fuit:
Tum poterat manibus summâ tellure revelli;
  Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

Dicebat Socrates: Multos homines propterea velle vivere, ut ederent et biberent: se bibere atque esse, ut viveret.

Declamas bellè; causas agis, Attale, bellè.
  Historias bellas, carmina bella, facis.
Componis bellè mimos, epigrammata bellè;
  Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et bellè cantas, et saltas, Attale, bellè;
  Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cùm facias, facis attamen omnia bellè.
  Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

Corpus humanum prope utì ferrum est. Ferrum si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo consumit. Item homines exercendo videmus conteri: si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti affert, quàm exercitatio.

Fama, malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:

Parva metu primò ; mox sese attollit in auras ;
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit ;
Tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri.

Nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania, et brevis furor. Hinc Alexander carissimum sibi ac fidelissimum amicum Clitum inter epulas transfodit. Marcum Antonium, magnum virum, et ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, quàm ebrietas et Cleopatræ amor? Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem, hæc crudelem fecit, cùm inter apparatissimas epulas, vino gravis, sitiret tamen sanguinem ; solet nempe vinolentiam crudelitas sequi.

Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ :
  Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ ;
Vivere quòd propero pauper, nec inutilis annis,
  Da veniam ; properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
  Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, et nigros non indignantia fumos
  Tecta juvant, et fons vivus, et herba rudis.
Sit mihi verna satur ; sit non doctissima conjux :
  Sit nox cum somno ; sit sine lite dies.

Diogenes, vir ingentis animi, qui se complicuit in dolio, et in eo cubitavit, divitias projecit, onus illas existimans, et effecit ne quid eripi posset. Servus, quem sibi unicum servaverat, cùm effu-

gisset, eum reducere noluit: Turpe est, inquit, Manem sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse. Cùm vidisset puerum cavâ manu bibentem aquam, fregit protinus calicem cum hâc objurgatione sui: Quamdiu homo stultus supervacuas sarcinulas habui!

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
  Quàm ferus, et verè ferreus, ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tum prælia nata;
  Tum brevior diræ mortis aperta via est.

Cùm adolescens fragrans unguento accessisset ad Vespasianum, ut pro impetrato magistratu gratias ageret, hic, ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentem vultu aspernatus, voce etiam gravissimâ increpuit: Maluissem allium oboluisses; munusque concessum revocavit.

Ad cœnam nuper Varus me fortè vocavit,
  Ornatus dives, parvula cœna, fuit.
Auro, non dapibus, oneratur mensa: ministri
  Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego: Non oculos, sed ventrem pascere veni;
  Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

Quotidie ad rationem reddendam vocandus est animus. Faciebat hoc Sextius, ut, consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum

tuum sanâsti? Cui vitio obstitisti? Quâ parte melior es?

Pulchrum eminere est inter illustres viros;
Consulere patriæ; parcere afflictis; ferâ
Cæde abstinere; tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hâc cœlum viâ.

Lysandrum dicere aiunt solitum: Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriæ proditum est, cùm Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum: cùm autem ad Lacedæmonios accessisset, consurrexisse omnes, et seni sedem dedisse: cùm ab omnibus plausus esset datus, dixisse ex iis quendam: Athenienses scire, quæ recta essent, sed facere nolle.

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus.
Luce Deos oro: famulos, pòst arva, reviso.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico, mollique palæstrâ
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco,
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi:
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

Apelles, pictor egregius, cùm tabulam pinxerat, eam inspiciendam proponebat transeuntibus; et post ipsam latens, vitia, quæ a quoque notarentur, auscultabat; vulgi enim judicium sæpe præferebat suo. Is aliquando a sutore reprehensus in crepidis pictæ imaginis, statim quod peccatum fuerat emendavit. At eodem sutore superbè propter priorem admonitionem cavillante circa crus imaginis die postero, indignatus Apelles prospexit, denunciavitque: Ne sutor supra crepidam judicaret. Quod deinde in proverbium venit.

Dextera præcipuè capit indulgentia mentes:
  Asperitas odium, sævaque verba movent.
Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis,
  Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis, hirundo;
  Quasque colat, turres Chaonis ales habet.

Lycurgi leges laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Spartæ pueri sic verberibus accipiuntur, ut multus sanguis exeat: quorum non modò nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.

Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper.
  Dic mihi, cras istud, Posthume, quando venit?
Quàm longè, cras istud ubi est, aut unde petendum?
  Numquid apud Parthos, Armeniosque latet?

Jam cras istud habet Priami, vel Nestoris, annos.
  Cràs istud quanti dic mihi possit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Posthume, serum
    est:
  Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Cùm Xenocrates philosophus maledico sermoni quorundam hominum interesset, ac taceret; uno ex his quærente, cur solus ita linguam cohiberet: Quia locutum fuisse me, inquit, aliquando pœnituit; tacuisse, nunquam.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit;
  Omnia sede movet; nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt: profugum mare littora siccat:
  Subsidunt montes; et juga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cœli
  Ardebit flammis tota repentè suis.

Domitianus inter initia principatûs quotidie per horam unam muscas captabat, ac stylo præacuto configebat: ita ut cuidam interroganti, essetne quis intus cum Cæsare, non absurdè responsum sit a Vibio Crispo: Ne musca quidem.

Messis erant primis virides mortalibus herbæ;
  Quas tellus, nullo solicitante, dabat.
Et modò carpebant vivaci cespite gramen;
  Nunc epulæ tenerâ fronde cacumen erant.
Postmodò glans nata est; bene erat jam glande
    repertâ;
  Duraque magnificas quercus habebat opes.

Cùm Romæ medio foro quidam mortuus efferretur, accessit ad eum scurra, et in aurem quiddam insusurravit. Interrogatus ab iis, qui aderant, quidnam dixisset? Mandâsse, respondit, ut Augusto nunciaret, nihil eorum, quæ moriens plebi legaverat, solutum esse a Tiberio. Re auditâ, Tiberius scurram duci ad supplicium jussit, ut ipse Augusto nuncium ferret.

Vivitur exiguo meliùs; Natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret;
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Nero quæsitissimis pœnis affecit Christianos. Auctor nominis ejus CHRISTUS, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Ferarum tergis contecti, laniatu canum interibant, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecerat dies, in usum nocturni luminis urebantur.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res, non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;
Vires ingenuæ; salubre corpus;
Prudens simplicitas; pares amici;

Convictus facilis; sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis torus, et tamen pudicus;
Somnus, qui faciat breves tenebras;
Quod sis, esse velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

Siculus quidam, cui prætor Scipio patronum causæ dabat hominem nobilem, sed admodum stultum: Quæso, inquit, Prætor, adversario meo da istum patronum; deinde mihi neminem dederis.

Durà aliquis præcepta vocet bona; dura fatemur
Esse: sed ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamvis iratus, amaros
Æger: et oranti mensa negata mihi est.

Patrono malo, qui vocem in dicendo obtuderat, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simul ac domum rediisset: Perdam, inquit, vocem, si id fecero. Melius est, respondit Granius, quàm reum.

In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
Ne temerè in mediis dissolüantur aquis.
Ne cadat, et multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.

Iliensibus paulò seriùs Tiberium consolantibus de morte filii Drusi: se quoque, respondit, vicem

eorum dolere, quòd egregium civem Hectorem amisissent. Effluxerant autem tum plus quàm mille anni a morte Hectoris.

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
  Si fiam locuples, simque repentè potens.
Quemquam posse putas mores narrare futuros?
  Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Fabiæ Dolabellæ triginta se annos habere dicenti: Verum est, inquit Cicero, nam hoc jam viginti annos audio.

Ingenium cœleste suis velociùs annis
  Surgit, et ignavæ fert malè damna moræ.
Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
  Pressit, et in cunis jam Jove dignus erat.

In scholâ audiet puer multa quotidie probari, multa corrigi; proderit alicujus objurgata desidia, proderit laudata industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superâsse majores. Accendunt hæc omnia animos: et, licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.

Forma bonum fragile est: quantumque accedit ad annos,
  Fit minor; et spatio carpitur ipsa suo.
Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent;
  Et riget amissâ spina relicta rosâ.

Et tibi jam cani venient, formose, capilli ;
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Æmilius Paulus omni Macedonum gazâ, quæ fuit maxima, potitus est : tantam in ærarium pecuniam invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam, præter memoriam nominis sempiternam, detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversâ. Numquid copiosior fuit L. Mummius, cùm copiosissimam urbem Corinthum funditus sustulisset ? Italiam ornare, quàm domum suam, maluit.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis !
Non sic prata, novo vere, decentia
Æstatis calidæ despoliat vapor :
Sævit solstitio cùm medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis.
Languescunt folio lilia pallido ;
Et gratæ capiti deficiunt rosæ :
Ut fulgor, teneris qui radiat genis,
Momento rapitur : nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax ; quis sapiens bono
Confidat fragili ?

Vespasianus, nunquam cæde cujusquam lætatus, justis suppliciis illacrymavit etiam et ingemuit.

Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
 Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.
Cùm dederit lacrymas, animumque expleverit
 ægrum,
 Ille dolor verbis emoderandus erit.

Burrhus petebat a Nerone, ut scriberet nomina latronum, qui ad supplicium ducendi erant. Cùm chartam invito tradidisset, exclamavit Nero: Vellem nescire literas.

Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in
 Hyblâ:
 Cærula quot baccas Pallados arbor habet:
Littore quot conchæ; tot sunt in amore dolores:
 Quæ patimur, multo spicula felle madent.

Tiberius rescripsit præsidibus provinciarum, onerandas esse tributo provincias scribentibus: Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
 Auxilium nullâ parte tulisse tuum.
Turpe referre pedem; nec passu stare tenaci;
 Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum, et fortunæ cedere; amicum
 Et, nisi sit felix, esse negare tuum.

Est præclara epistola Platonis, qui in Siciliam vocatus fuerat, his ferè verbis: Quò cùm venissem, vita illa, beata quæ ferebatur, plena Italica-

rum Syracusanarumque mensarum, nullo modo mihi placuit; bis in die saturum fieri: nunquam pernoctare solum; ceteraque, quæ comitantur huic vitæ, in quâ nemo sapiens efficitur unquam, moderatus verò multo minùs. Neque enim mente rectè uti possumus, multo cibo et potione completi.

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus;
 Contemtæque jacent, et sine luce, faces.
Quàm platanus vino gaudet, quàm populus undâ,
 Et quàm limosâ canna palustris humo;
Tam Venus otia amat; qui finem quæris amoris,
 (Cedit amor rebus) res age: tutus eris.

Ad Cæsarem Augustum delatum est, L. Cinnam insidias ei struere. Cinnam ad se accersivit, dimissisque omnibus, indicium exposuit, adjecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum: et cùm sua in eum beneficia plurima commemorâsset, pro quibus ille infandam cædem paraverat, *his verbis desiit*: Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hosti, cùm te in hostium meorum castris invenerim, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: et, quàm libenter ego tibi vitam do, tam libenter tu mihi eam debeas. Post hæc, detulit ei ultro consulatum, questus quòd non auderet petere: amicissimum fidelissimumque habuit. Heres illi solus fuit: et nullis ampliùs insidiis ab ullo petitus est, id clementiâ consecutus, quod antea severitate frustrà quæsiverat.

Inventâ secuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis solicitavit aquas,
Tranquillis primùm trepidus se credidit undis,
Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus, et linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum;
Jam vagus exultat pelago; cœlumque secutus,
Ægæas hyemes Ioniasque domat.

Pittacus ille, qui septem sapientûm numero est habitus, cùm ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent: Nolite, rogo vos, inquit, mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo ampliùs quàm centum jugera, quæ et meam animi æquitatem, et vestram voluntatem, indicent. Nam parva munera, diutina; locupletia, non propria, esse consueverunt.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Nonne putas stultas hunc habuisse manus?
Cur etenim hamatis manus est armata sagittis?
Cur pharetra ex humero Gnossià utroque jacet?
Cur idem frustra ventosas addidit alas?
Fecit et humano corde volare Deum?

Dionysius, postquam audivit Dionem sibi bellum facere conari, filium ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero scorta adducebantur, vino epulisque

obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Postquam in patriam rediit pater, is vitæ statum commutatum ferre non potuit; namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent. Itaque se a superiore parte ædium dejecit, atque ita interiit.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis:
  Atque brevis magno convenit ira viro.
Conspicitur nunquam meliore potentia causâ,
  Quàm quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc tecum commune Deo; quòd uterque rogati
  Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Clarissimum Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum; qui magnitudine operis, et fulgore carminum solus appellari Poeta meruit: in quo hoc maximum, quòd neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est: neque quemquam *alium, in* eo opere, cujus primus auctor fuerit, perfectissimum, præter Homerum et Archilochum, reperiemus.

Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
  Rectorem dubiæ navita puppis amat.
Tu quoque, Pieridum studio, studiose, teneris;
  Ingenioque faves, ingeniose, meo.

Cùm Chabrias, dux Atheniensium, fortissimè navali prælio pugnaret, navis ejus rostro percussâ cœpit sidere. Hinc cùm refugere posset, si se in

mare dejecisset, quòd suberat classis Atheniensium, quæ exciperet natantem; perire maluit, quàm, abjectis armis, navem relinquere, in quâ fuerat vectus. Id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. At ille præstare honestam mortem turpi existimans vitæ, cominus pugnans telis hostium interfectus est.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave
est.
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa, tuâ sine parte perîcli.
Sed nil dulcius est, bene quàm munita tueri
Edita doctrinâ sapientûm templa serena;
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Simonides, cùm ignotum quendam projectum mortuum in quiete vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepulturâ affecerat; si navigâsset, eum naufragio esse periturum; itaque Simonides rediit. Perierunt ceteri, qui tum navigârant.

Non tibi conveniet cunctis modus unus agendis:
Pro vento velum flectere disce tuum.
Hi jaculo pisces, illi capiuntur ab hamis,
Hos cava contento retia fune trahunt.

Epaminondas erat modestus, prudens, peritus belli, animo maximo; adeò veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum; in primisque commissa celans: quod interdum non minùs prodest, quàm disertè dicere. Studiosus audiendi; ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur.

Languor, et immodici sub nullo vindice somni,
  Aleaque, et multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animis sine vulnere nervos:
  Adfluit incautis insidiosus amor.
Quæritis Ægysthus quare sit factus adulter?
  In promtu causa est: desidiosus erat.

Cùm duo quidam Arcades familiares iter unà facerent, et Megaram venissent, alter ad cauponem divertit; ad hospitem alter. Qui ut cœnati quiescebant, nocte visus est in somniis ei, qui erat in hospitio, ille alter orare, ut subveniret, quòd sibi a caupone interitus parabatur: primò perterritus somnio surrexit: deinde cùm se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit: tum ei dormienti idem ille visus est rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et suprà stercus injectum: petere, ut manè ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc somnio commotus, manè bubulco præstò ad portam fuit: quæsivit ex eo, quid esset in

plaustro: ille perterritus fugit: mortuus erutus est: caupo, re patefactâ, pœnas dedit.

Hos ego versiculos[1] feci; tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis, aves;
Sic vos non vobis vellera fertis, oves;
Sic vos non vobis mellificatis, apes;
Sic vos non vobis fertis aratra, boves.

Publius Scipio, qui primus Africanus appellatus est, dicere solebat: Nunquam se minùs otiosum esse, quàm cùm otiosus: nec minùs solum, quàm cùm solus esset. Magnifica vox, et magno viro et sapiente digna: quæ declarat, illum et in otio de negotiis cogitare, et in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret unquam, et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo.

Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui meliùs per ver incipiendus erat?
Omnia tum florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frondibus arbos;
Prodit et in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis, luxuriatque, pecus.
Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsâ sub trabe fingit opus.

[1] Vide pag. 69. *Nocte pluit totâ, &c.*

Tunc patitur cultus ager, et renovatur aratro;
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Cùm Lácedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores; Codrus, rex Atheniensium, depositâ veste regiâ, pastoralem cultum induit, immistusque castris hostium, rixam ciens, interemtus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæsîerit, quibus ab ignavis vita quæri solet?

Spes facit, ut vivat cinctus quoque compede fossor,
Liberaque a ferro crura futura putet.
Hæc facit ut, videat cùm terras undique nullas
Naufragus, in meddiis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit:
Non spes huic, venâ deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem;
Atque aliquis, pendens in cruce, vota facit.

Themistocles, post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione: Se habere consilium reipublicæ salutare, sed id sciri opus non esse: postulavit, ut aliquem populus daret, quîcum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille: Classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse; quo facto frangi

Lacedæmoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cùm audîsset, in concionem magnâ expectatione venit; dixitque: Perutile esse consilium, quod Themistocles afferret; sed minimè honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audîerant quidem, repudiaverunt.

Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefandâ
Produxisse, parum est.

Diomedon, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecuniâ corrumpendum suscepit. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Epaminondam convenit. At ille: Nihil, inquit, opus pecuniâ est. Nam si ea rex vult, quæ Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo, pro patriæ caritate.

Certus amor morum est: formam populabitur ætas;
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit:
Et veniet, rugis altera causa, dolor.

Mummius tam rudis fuit, ut, captâ Corintho, cùm maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, eas perdidissent, novas eos reddituros.

In nemus ire juvet: pressisque in retia cervis,
 Hortari celeres per juga summa canes;
Aut tremulum excusso jaculum torquere lacerto,
 Aut in gramineâ ponere corpus humo.
Sæpe juvet versare leves in pulvere currus,
 Torquentem frænis ora ferocis equi.

Hannibal, cùm Cretam ad Gortynios venisset, vidit magno se fore periculo, nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium. Magnam *enim* secum pecuniam portabat, de quâ sciebat exîsse famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento: has Gortyniis præsentibus deponit in templo Dianæ, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis, statuas æneas, quas secum portabat, omnes suâ pecuniâ complet, easque in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magnâ curâ custodiunt, non tam a ceteris, quàm ab Hannibale, ne quid ille, inscientibus his, tolleret, secumque asportaret. Sic conservavit res Pœnus.

Quid molles igitur prodest coluisse capillos?
 Sæpeque mutatas disposuisse comas?

Quid fuco splendente comas ornâsse, quid ungues
Artificis doctâ subsecuisse manu?
Forma placet, quamvis inculto venerit ore;
Nec nitidum tardâ comserit arte caput.

Nihil tam indignum fuit, quàm quòd ab ullo Cicero proscriptus est; abscissaque scelere Antonii vox publica est, cùm ejus salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis, et privatam civium causam defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam, et ætâtem senilem, et vitam miseriorem te principe, quàm sub te triumviro mortem: famam verò gloriamque factorum atque dictorum adeò non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur.

Luculli miles collecta viatica, multis
Ærumnis lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat: post hoc, vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præsidium regale loco disjecit, ut aiunt,
Summè munito, et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Fortè sub hoc tempus castellum evertere prætor
Nescio quod cupiens, hortari cœpit eundem
Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem:

I, bone, quò virtus tua te vocat: i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid stas?
Post hæc ille catus, quantumvis rusticus: Ibit,
Ibit eo, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.

Epaminondas, cùm animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum: usque eò retinuit, quoad renunciatum est, vicisse Bœotios: id postquam audivit: Satis, inquit, vixi, invictus enim morior. Tum ferro extracto, confestim exanimatus est.

Ac veluti, ventis agitantibus æquora, non est
  Æqualis rabies continuusque furor.
Sed modò subsidunt, intermissique silescunt;
  Vimque putes illos deposuisse suam.
Sic solet interdum fieri placabile numen;
Nube solet pulsâ candidus ire dies.

C. Plinius Trajano Imp. S. D.

In iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam inflexibilem obstinationem debere puniri. Deos appellare, et imagini tuæ thure ac vino supplicare, aut maledicere Christo, nihil cogere potest eos,

qui sunt reverà Christiani.—Hæc est summa eorum erroris: solent stato die ante lucem convenire; carmenque CHRISTO, quasi DEO, dicere secum invicem; seque sacramento, non in scelus aliquod, obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committant, ne fidem fallant: quibus peractis, mos illis discedendi est, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium. Multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexûs etiam, vocantur in periculum. Neque enim civitates tantùm, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Certè satis constat, prope jam nostra esse desolata templa, et sacra solemnia diu intermissa esse, et victimarum rarissimum emtorem inveniri. Visa est igitur mihi res digna consultatione.

Cervus equum, pugnâ melior, communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum depulit ore.
Sic qui, pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternùm, quia parvo nesciet uti.

Apud Xenophontem moriens Cyrus major hæc dicit: Nolite arbitrari, O mihi carissimi filii, me, cùm a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis

rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis.

Quàm bene Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cœruleas pinus contemserat undas:
Effusum ventis præbueratque sinum.
Illo non validus subiit juga tempore taurus:
Non domito frænos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus; ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec enses
Immiti sævus duxerat arte faber.

O præclarum diem, cùm ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar, cùmque ex hâc turbâ et colluvione discedam! proficiscar enim non ad eos solùm viros, de quibus antè *dixi*; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus a me corpus crematum est, quod contrà decuit ab illo meum. Animus verò non me deserens, sed respectans, in ea profectò loca discessit, quò mihi ipse cernebat esse veniendum: quem ego meum casum fortiter ferre visus sum; non quòd æquo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore.

FINIS.

BOOKS

PUBLISHED BY WELLS & LILLY,

No. 97, Court Street, Boston.

M. TVLLII CICERONIS AD Q. FRATREM Dialogi Tres de Oratore cum Notis Jo. Aug. Ernesti. Price 1 *doll.* 25 *cts.* bound.

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS: Cato Major, seu de Senectute: Lælius, sive de Amicitia. Cum Notis Jo. Aug. Ernesti. Price 1 *doll.* 25.

C. CORNELII TACITI EX RECENSIONE IO. Augusti Ernesti denuo curavit I. I. Oberlinus. cum notis selectis, 3 vols. Price $6.

EXCERPTA QUAEDAM E SCRIPTORIBUS Latinis Probatioribus, Notis Illustrata. In usum Juventutis Academicæ. Price $3 bound.

The PRIMITIVES OF THE GREEK TONGUE; with Rules for Derivation. Price 1 *doll.* bound.

POETICAL CHRONOLOGY OF ANCIENT and English History; with Historical and Explanatory Notes. By R. Valpy, D.D. F.A.S. with additions and improvements. Price 62 1-2 cents.

Non in notitia vel rerum, vel temporum, satis operæ insumitur.—*Tacit. Dial. de Orato.* xxix.

To which is added, AMERICAN CHRONOLOGY, from the discovery by Columbus, to the establishment of the Federal Constitution. (Adopted by the School Committee, for the use of the Public Schools in Boston.)

The necessity of an early acquaintance with History, has been always acknowledged. It is generally confessed that, without a proportionate knowledge

of Geography and Chronology, History cannot make a lasting impression on the memory. The satisfaction of beholding the face of the earth, of tracing the march of an army, the progress of an empire, or even the tour of a traveller, insensibly leads the inquisitive minds of youth to a competent knowledge of Geography. Less attractive is the study of Chronology. A list of dates is far from leaving that agreeable impression on the memory, which is the result of the attractive survey of a map or chart. What is indistinctly remembered, ceases to engage delight; and what is no longer interesting, is soon totally forgotten.

Those who rank History among the principal branches of a classical education, have long been sensible of this difficulty Various plans have been proposed, and systems adopted, in order to clear the path of Chronology of its intricacies and impediments.—Of these plans, the most successful was that of Dr. Valpy, who has done much to smooth the difficulties in the attainment of classical learning. He conceived, that if the knowledge of dates, which is happily connected with that of facts, could be reduced to a poetical form, in a series of English verses, which might be easily learnt on account of their simplicity, and remembered without disgust, a benefit of some importance would be conferred on the rising age. He found his path fortunately traced, and his labour considerably diminished, by a work of the celebrated Lowth, Bishop of London. Upon this groundwork he proceeded, and gave the public a small volume, which passed through seven editions in a short time.

The present is an attempt to enlarge and extend the usefulness of Dr. Valpy's Chronology. Several additional articles are given in the reign of George III. including the most important events to the year 1815:—and an entire series is added of American Chronology, from the discovery of Columbus, to the establishment of the Federal Constitution.

It is obvious, that great and leading events only could be noticed in a work of this nature, whose object is to assist, and not to overload the memory.

The editors hope that the additional stanzas will be found not inferior to those of the original in comprehensiveness or harmony of diction; and will be gratified if they can furnish to our Schools and Academies a cheap book, on a neglected branch of education, in any degree calculated to open the understanding of the young, and enlarge the stock of useful knowledge.